





112

SEPTEM MOTIVA

CONTRA


THOMAM DE KEMPIS

ED.

COELESTINUS WOLFSGRUBER
PRESBYTER MONASTERII BENEDICTINORUM AD SCOTOS VINDOBONAE, S. S. THEOLOGIAE DOCTOR.

SEORSIM EXSCRIPTA EX ANNALI C. R. GYMNASII AD SCOTOS.

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS C. R. GYMNASII AD SCOTOS.
IMPR. CH. REISSER ET M. WERTHNER.
1882.


BODLEIAN LIBRARY
22 JAN 84
OXFORD.

erscrutans codd. manusc. de libris «de imitatione Christi» in cd. 12436. bibliothecae publicae Parisiensis, quam vocant «la nationale», inveni libellum, qui inscribitur: «Septem motiva contra Thomam Kempensem», his verbis in margine appositis: «Cette pièce serait très digne d'être imprimée.»

Quo libello studiosius perlecto vera esse haec verba repperi, cum auctorem propositum, ut adferret «motiva contra Thomam Kempensem», egregie peregisse cognoscerem.

Praeterea mea proprie intererat auctorem huius libri explorari, qua de causa non minus quam propter eius argumentum typis eum describendum censui.

Ignotus ille scriptor hoc libello agit de auctore librorum de imitatione Christi. Qua in re ut fidem faciat sententiae suae, ante omnia asseverat se veritatis amantissimum esse nec alterius partis studiosum; «veritatem, inquit, exquirere desidero, quam quiscumque melius docuerit, me sectatorem habebit» *(pag. 33)* atque a Gersene aeque ac Kempensi alienum se esse et «una fidelia duos parietes dealbare» velle affirmat *(pag. 35)*. Ac reapse interroganti, quis sit auctor illorum quattuor librorum, respondet noster: «nescimus nos, nescient

posteri; non invidemus (nomen auctori), sed non videmus; quod utinam sciremus, profecto his calamorum libellis et bellis supersederemus» *(pag. 25)*.

Cum vero in Gersenem solum «motivum teutonismi» *(cf. pag. 43.)*, quod et in Thoma valere arbitratur (*pag. 34.* sqq.) afferat, Thomam auctorem infitiatur adductus septem gravibus momentis plane internis, quae libellum nostrum aere perenniorem reddunt. Quid enim aptius est ad convincendos adversarios, quam librorum de imitatione Christi stylum comparare cum libris revera a Thoma Kempensi conscriptis, quid utilius ad nos edocendos, quam ostendere Thomae conditionis et libelli de imitatione discrepantiam. Auctorem in hoc libro conscribendo non fuisse levem nec parum diligentem, apparet ex cap. 2. mot. 1., quo loco postulat «in auctoribus discernendis purgatissimum iudicium, ingenium acre et longam legendi consuetudinem ac familiaritatem . . . Auctoria, inquit, consuetudo parit notitiam, cui nisi quis se immerserit, citra periculum errandi non iudicabit» *(pag. 3)*. Quae omnia auctori nostro infuisse videmus ex cap. 5. et 6. mot. 1., ex mott 2., 6., 7., ubi improbo cum labore sexcentos locos comparandos adhibuit.

Etiam nostri auctor libelli sicut librorum de imitatione nomen operi suo non subscripsit. Equidem vero, quis hunc librum confecerit, repperisse mihi videor. Degisse anonymum non, quod colligas ex codice reposito in bibliotheca Parisiensi, in Gallia, sed in Germania eaque superiore, patet ex ipsius verbis: «porro nos docebimus teutonicam, quam libellus redolet, phrasim aeque, si non magis, in Germania nostra superiore quam in Flandria usitatam esse» *(pag. 35)*. Facile huic de auctoris patria testimonio adicitur alterum ex pag. 64.: «Advertendum, quam caute noster Joa. Trithemius et quam singulari cum prudentia de isto libello scripserit;» nisi «nostrum» Trithemium eiusdem ordinis fuisse interpreteris.

Neque minus quam auctoris patriam tempus nobis exploratum arbitror, quo ille conscripserit hunc librum. Nam neque Hesero recentiorem suae ipsius sententiae adversarium oppugnat neque ipsius Heseri scripta recentiora cognita habet, velut «Obeliscum, Hecatompylon». Itaque conscriptum esse istum codicem ante annum 1660. liquet. Quibus temporibus in Germania superiore Kempistas quidem complures et Gersenistas quosdam vixisse compertum habemus, sed neutrius partis studiosum solum Romanum Hay monasterii Ochsenhusani, de cuius vita et scriptis refert nonnihil *Ziegelbauer* in *historia rei liter. O. S. B. Aug. Vind. 1754. tom. IV. fol. 253. sq.* et *G. Geisenhof* in *historia monasterii Ochsenhusani Ottob. 1829. fol. 116*, a quibus minime discrepat *rotula* reposita in tabulario monasterii *Ottoburani (tom. I. N. 137.).*

Quorum quamvis neuter Romanum illum scripsisse libellum de auctore imitationis Christi memoriae prodiderit, stamus tamen in iudicio nostro. Magna enim fortuna contigit, ut tres illius monachi epistolae ad libros de imitatione Christi spectantes integrae usque ad nostra tempora permanserint. Quarum unam repperimus in eodem tabulario monasterii Ottoburani, alteras in bibliotheca regia Monacensi. Ex his epistolis prima, in qua ascriptus est dies 7. mensis Aug. anni 1651., oritur ab his verbis: «Anteacta hieme R^mus^ dom. abbas Vinearum transmiserat mihi pro ferendo sensu meo Rosweidum redivivum, seu vindicias vindiciarum Kempensium Simonis Werlini, praepositi quondam Diessensis contra Constantinum Caietanum et Franciscum Valgravium editas Colon. anno 1649. Werlinum vicino pede secutus est anno 1650. in eiusdem causae patrocinio Georgius Heserus soc. Jesu dioptra Kempensi formis Ingolstadiensibus edita. Ambos evolvi non semel. Et quamvis huic (ut mihi quidem videbatur) otiosae, si non scandalosae concertationi de nomine auctoris librorum de imitatione Christi hactenus nunquam me immiscuerim

contentus illa gnoma libelli: «Non quis hoc dicat, sed quid dicatur, attende» aliqua tamen post lectionem horum auctorum incessit me curiositas inspiciendae veritatis. Ideoque omnia opera Thomae de Kempis, edita Dilingae anno 1576., per otium accuratissime ipsosque quattuor de imitatione Christi libellos seorsim minimum duodecies a capite ad calcem perlegi: et (quod ipse obstupui) inveni Thomam de Kempis horum quattuor auctorem revera non esse. Paratus quoque sum hoc ipsum ex ipsismet potissimum opusculis utrimque inter se collatis et iuxta se positis ad oculum demonstrare, decem aut pluribus *motivis* plus quam praegnantibus in hanc sententiam pertractus. Nec terreor omnibus opponentium argumentis allatis, quae evidenter me soluturum confido.»

Nos quidem maxima sententiae nostrae documenta non capimus ex huius epistolae verbis, quibus dicit Romanus se testimonia contra Thomam allaturum «ex ipsismet potissimum opusculis utrimque inter se collatis et iuxta se positis», qua in re praecipuam libri nostri virtutem esse intelligitur; nec premimus et huius epistolae et illius libelli auctorem uti nomine «motivorum», cui voci nusquam a scriptoribus hanc rem tractantibus ea quae hic subicitur vis; sed hoc potissimum argumento nostra confirmari arbitramur, quod non solum Romanus Hay in epistola sua, sed et anonymus ille a Werlino sibi esse persuasum tradunt Thomam imitationis auctorem non esse, immo quod Romanus ab abbate Vinearum est cohortatus, ut libellum conscriberet de Werlini vindiciis et Heseri dioptra, quos auctores — eosque solos — etiam noster «septem motivis» errasse evincit.

Sequentibus verbis scriptor suam de re tractata sententiam exprimit. Quae eadem est ac nostri libelli et in negando et in affirmando. «Ut aureum, inquit, hunc libellum Joanni Gersen vel Gessen, nuncupato abbati Vercellensi ord. nostri Italo asseram, necdum mihi Caietanus et Valgravius persuaserunt. Sufficiet mihi manubrium e manibus opponentium

excutere docereque Thomam a Kempis ab hoc campo scriptionis procul arcendum, quem ex vetustissimis manuscriptis codicibus iure sibi vindicat incogniti nominis monachus, presbyter Germanus; nam et lingua sua manifestum se facit.» Et procedente sermone Romanus se operi suo ad illam rem pertinenti, «ne calamum sumens uno flatu duos tresve ingentes crabronum exercitus contra se provocet,» inscripturum esse hoc nomen dicit: «Osculum pacis inter Thomam de Kempis . . et Joannem Gersen» addens: «ubi tamen pacem sic statuo, ut neutri plus tribuam quam de adversae partis iactura solatium.» Postremo loco a Jacobo Molitore, monasterii Ottoburani priore, cui haec epistola inscripta est, petit, ut ad se perscribat, quae Gregorius abbas eiusdem monasterii, quem occupatum in conscribendo libro contra Thomistas (qui inscribitur Centumviratus,) esse mortuum constat, manu sua literis consignaverit, quae magno usui fuisse Romano manifestum est. Alterarum epistolarum prima *(cod. lat. Monac. 11506 b, fol. 34 a)* Romanus noster a Georgio Hesero professore Ingolstadii petit libros quosdam, secunda *(cod. cit. fol. 35 a)* eidem gratias agit addens se Kempistam nominari nolle.

Qua in re illud est vel maximum, quod Romanus consentiens cum auctore «motivorum» iterum atque iterum Germanum libros de imit. conscripsisse dicit: «neque credo alium quam Germanum libelli auctorem esse» *(ep. prior)* et: «licet pro Germano stem auctore» *(ep. post.)*.

Magnae ergo rationes nos adduxerunt ad sententiam iam supra dictam: Romanum Hay libellum nostrum conscripsisse. Mors eum medio in opere oppressisse videtur, quam ob rem ex decem motivis, quae se allaturum ad Molitorem scripserat, septem modo extant. Quod opus postea missum esse arbitramur ad Maurinos in hac causa versantes, quorum «documents sur l'imitation» in biblioth. supra dicta cdd. 12434—12437. asservantur.

Laudem, qua Ziegelbauer *(l. c. fol. 258.)* Romanum Hay ob nonnullos libros ab ipso conscriptos prosecutus est, non esse iniustam ex hoc quoque libello apparet, quem qualem repperimus in codice, talem memoriae tradidimus.

Memores illius Ciceronis: «nullum officium referenda gratia magis necessarium» maximas agimus gratias dom. dr. Leithe, bibliothecae C. R. Universitatis antistiti, cuius beneficio codex continens hunc librum a nobis editum Parisiis Viennam nobis apportatus est.

Motivum primum contra Thomam de Kempis.

Stylus scriptionis diversus.

Caput primum.

De stylo universim.

1. Primus, qui mihi ex inopinato persuasit Thomam de Kempis libri de imitatione Christi auctorem non esse, fuit dn. Simon Werlinus praepositus Dissensis in Bavaria, canonicorum regularium ord. s. Augustini. Cuius Rosweydum redivivum seu vindicias vindiciarum Kempensium anno 1649. Coloniae Agrippinae editas cum legissem, quibus is dimotum suadere conabatur, mox pedibus in oppositam sententiam me traxit ob styli scriptionis cum primis rationem, quam tanti aestimat, ut part. 2. cap. 5. §. 1. n. 4. doceat ex sententia praestantissimorum auctorum ita posse cognosci ex stylo scriptorem, sicut quemlibet hominem ex facie. Arrisit dictum et curioso facile persuasit inspicere libellum, ut faciem tam famosi scriptoris agnoscerem. Veni, vidi, agnovi. Hanc ut remota cortina lector una mecum contempletur, praemittemus veterum sententias pro iudicio styli a Werlino ibid. 8. 11. suo calamo verbis auctorum descriptas.

M. Terrentius Varro: Gellius lib. 3. c. 3; Jul. Caesar: Cicero lib. 9. ad famil. ep. 16; M. Tullius Cicero lib. 7. epist. 32. Ad Volumnium Eutrapelum; De oratore lib. 3. Huc etiam faciunt, quae idem disserit in Lucullo. Quo sermone satisfiet illi (subicit Werlinus), qui quis optimus styli sit cognitor sciscitatur. Respondetur enim eum esse, qui usu et consuetudine legendi cum auctoribus magnam familiaritatem contraxerit. M. Fabius Quintilianus lib. 2. cap. 9; lib. 10. cap. 1; lib. 12. cap. 10; M. Valerius Martialis lib. 12. ep. 3; Favorinus philosophus: Gellius loc. citat; Aulus Gellius ipse ibidem; s. Gregorius Nazianzenus epist. 208. ad Nicobulum; s. Hieronymus liber de scriptoribus eccles. c. 68; epist. 66. ad Rufinum; lib. 3. advers. Pelagium; epist. 13. apud s. Aug.; lib. 2. contra Rufinum; s. Augustinus epist. 48; C. Sollius Apollinaris

Sidonius lib. 1. ep. 1; lib. 4. ep. 3; Magnus Aurelius Cassiodorus senator divinar. instit. c. 6; Photius Constantinopolitanus bibliotheca pag. 832. His addamus quae eodem cap. 5. §. 1. n. 2. paulo superius dixerat s. Hieron. inquiens epist. 141 ad Marcellam et s. Aug. epist. 48 ad Vincentium: stylum vocant imaginem seu faciem ingeniorum. Jam dico faciem Caii Seii, quomodocunque varietur, semper esse faciem eius et non alterius, nullo discrimine aetatis, valetudinis, aeris, affectionum animi. Sane b. Augustinus non minus nobiliter scripsit senex quam juvenis, ut testari possunt ejus libri sex contra Iulianum et postremi de civitate dei, quos edidit circa annum suum 74., nec minus facunde aegrotus quam sanus, ut epistolam ad Profuturum; in adversis quam in prosperis, ut epist. ad Honoratum etc.

2. Ex quibus omnibus liquet sic auctorem quemlibet e stylo, sicut feram ex vestigio, volucrem ex cantu, hominem ex facie cognosci posse; adeoque si a stylo scriptionis ordinariae deflexerit, opus eidem auctori tributum, a peritis veluti spurium merito reputari. Hinc doctissimus P. Fronto Ducaeus (infert Werlinus p. 1. §. 4. fol. 66.) cum animadvertisset quendam sermonem de s. Thoma apostolo citari nomine s. Chrysostomi a synodo Lateranensi sub Martino I. et rursus a sexta synodo universali Constantinopoli habita sub Agathone contra monotheletas ann. Christi 681., nihilominus tamen negat eum esse Chrysostomi, propter styli, inquit, disparitatem. Et part. 2. c. 5. §. 1. fol. 171. sermones, ait, de operibus cardinalibus Christi s. Cypriano abjudicantur ob stylum a Bellarmino; et a doctissimo theologo Guil. Estio tribuuntur Salviano, cui magis conveniunt. Interim, ut recte ait Werlinus fol. 173. Vind. Vind., est etiam diversitas styli in diverso genere. Cicero scripsit epistolas in humili, libros in mediocri, orationes in grandi. Cicero tamen nusquam est nisi Cicero. Et poeta Virgilius aliter scripsit Eclogas, aliter libros Georgicorum, aliter Aeneidos. Scimus Leonem Magnum, Ambrosium, aliosque doctores, quin et Augustinum ad barbarismos opera data descendentem, ab innata vi scribendi nonnunquam remisisse; ubique tamen Leones, Ambrosios, Augustinos aliosque in statione propria consistere videmus. Non idem semper in sceno Roscius, quin et quandoque bonus dormitat Homerus, tamen Homerus est.

Caput secundum.

Cuiusnam sit de stylo scriptionis ferre iudicium.

1. Fatetur Werlinus fol. 174 Vind. Vind. id non cuiusvis esse, alii, inquiens, de stylo iudicant tumultuarie, alii considerate, mature et ex longo usu; alii bene ac perite, alii male et imperite; alii sincero studio veritatis, alii sola libidine

repugnandi. Secundum Gellium iudices eiusmodi oportet esse bene literatos et in legendo non infrequentes: juxta Ciceronem peracris ingenii et consuetudine legendi exercitatos, qui quo usum habeant et internoscere assueverint. Assiduus enim usus uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit, inquit idem orat. pro L. Cornelio Balbo; secundum Werlinum, qui usu et consuetudine legendi magnam cum auctoribus familiaritatem contraxerint; iterumque fol. 199. qui odores rosae et lilii vult discernere, debet utrumque vicissim naribus admovere. Qui auctoris cujuslibet stylum explorare studet, hunc oportet librum illius incertum conferre cum certo, uno totum auctorem sibi familiarem facere.

2. Unde recte Cicero duos Servilios sibi simillimos, non foris sed domi, non ab alienis, sed a suis commode internosci potuisse scribit. Quid quod in familia quavis singuli a singulis non ex facie solum, sed etiam ex voce et loquela, ex incessu, ex sternutatione, tussi vel ex screatione facile cognoscuntur, qui ab exteris et insuetis minime discernuntur; tantum valet assidua consuetudo et familiaritas conviventium, quin et oves ex balatu inter mille suas matres, et ciconiae, sturni, passeres, hirundines aliaeque aves non tam naturae ductu, quam consuetudinis usu sese invicem ex aspectu, nobis quantumvis oculatissimis nullum earum discrimen advertentibus (ut in dies experimur) facillime internoscunt. Opus est igitur in auctoribus discernendis purgatissimo iudicio, ingenio acri et longa legendi consuetudine ac familiaritate. Faber sit oportet, qui fabrilia tractat, auctoria consuetudo parit notitiam, cui nisi quis se immerserit, citra periculum errandi non iudicabit.

Caput tertium.

An idem stylus sit libelli de imitatione Christi, qui est operum Thomae de Kempis.

1. Rosweydus Vindiciar. Kempens. cap. 11. affirmat his verbis: Non rosa rosam magis redolet, quam liber de imitatione Christi similis est reliquis Thomae a Kempis scriptionibus. Eidem adstipulantur (uti debent), quotquot Thomam de Kempis asserunt auctorem eiusdem libelli fuisse, ne mox primo in limine causam propriam vulnerent, efficaci argumento ex styli diversitate contra se pugnante. Ut autem uno complexu stringant etiam libellum de imitatione, remotissime describunt stylum Thomae de Kempis. Hinc Werlinus fol. 204. V. V.: Stylus, ait, prout est facies ingenii, res interna est, nec ita depingi potest inexpertis, ut nolentes convincantur. Sunt tamen facies quaedam faciem auctoris prodentia: Uti est in Thoma simplicitas compositionis non ostendens studium, aut multam lectionem, carens accuratione

Grammaticae, coloribus et figuris Rhetoricae, methodo et arte Dialecticae, utens non oratione longius cule producta, sed brevi atque concida; haec simplicitas et tota forma eloquii in verbis atque sententiis arguit similitudinem styli de imitatione Christi cum reliquis omnibus opusculis eius. Et Joannes Fronto, canonicus regularis ord. s. Aug. congregationis Gallicanae in libello, quem sine approbationibus, sine nomine typographi, loci et anni nuper editum Thomam de Kempis vindicatum inscripsit, parte 3, §. 2, n. 2: Nullus est, inquit, qui quantus quantus sit, eundem usquequaque animi tenorem eandemque vim obtineat, quin nonnumquam a seipso declinet ac labescat. Sed si libri de imitatione Christi aliorumque operum Thomae a Kempis dicendi formam orationisque filum ac ipsummet auctoris ingenium spectare velimus, eadem prorsus illa esse videbimus. Atque ut adoriar: is est auctoris de imitatione Christi animus ingenuus ubique ac simplex, Deo quam maxime familiaris, mundi ac pomparum eius hostis perpetuus, crucis, silentii et ad interna reditus praedicator acerrimus, qui res ipsas sic tractat, quasi prae manibus habeat et actitet, sermonis vero compositio ea est, ut sit animatus, concitus, sententiarum refertus iisque, sive hortetur, sive doceat, sive invehatur, utens; vix eadem insistens ac producens; raro aut nusquam probans; haud connixus serpensque, sed quasi volitans; procisus, et a se ipso volitans. Hic est, ni fallor, stylus, haec anima libelli de imitatione Christi. Iam legat, qui voluerit, alia Thomae a Kempis opera, et haec illis convenire confitebitur, hoc dempto, quod in isto melius, quia brevius. Haec ille.

2. Ceterum idipsum evenire solet in stylo scriptionis, quod in humana facie: ut nimirum duo homines primo aspectu sibi per omnia similes appareant, qui tamen inter se plurimum differunt; habent ambo v. g. frontem latam et exporrectam, nasum aquilinum, labia repanda, caput rotundum, capillos rufos etc., neque tamen est ea facies; in quibusdam conveniunt, in pluribus variant: ut si horum alter habeat glaucos, alter nigricantes, ille retusos, hic prominentes, alter dentes albos, alter obscuros, unus mentum rotundum, alter acuminatum, unus supercilia crassa, rugas et lineamenta profundiora, in fronte vel genis aliter diducta, alter supercilia densiora, cetera planiora et diversa; capillos unus crispos, alter fluentes multaque his similia, quae vultum unius, et si primo simillimum, ab altero sic discriminant, ut denique Cicerone teste ne minimum quidem similes esse videantur.

3. Id ipsum, inquam, evenit in stylo scriptionis; nam stylus v. g. s. Augustini, s. Ambrosii, s. Hieronymi, s. Cypriani, s. Hilarii multa habent, quibus inter se conveniunt; ut quod omnes praeclare doceant, solide psalmos aut prophetas exponant, in exhortando sint efficaces, senten-

tiosi, latinae linguae peritissimi, in refutando acres et vividi, in consolando mites et pii aliaque plura. Interim singulorum scribendi stylus a singulis aliorum plurimum secernitur, ut nullo negotio possit ab exercitatis internosci.

4. Ita se res habet cum libro de imitatione Christi et operibus Thomae de Kempis, quae in multis inter se conveniunt; ut quod utrimque simplicem spirent compositionem, studium aut mentis accuratam intentionem nullam, careant norma Grammaticae, Rhetoricae, Dialecticae, utantur oratione brevi et concida, denique conveniant in omnibus a Werlino et Frontone descriptis. Quid tum? Generalia sunt haec, nec solum his utrimque, sed aliorum quoque libris asceticis communia, ut mirum non sit, quod cardin. Bellarminus in catalogo scriptorum eccles. dixerit, hoc opus tributum fuisse Thomae a Kempis ab similitudinem a l i q u a m styli, ubi non ait omnimodam, non integram, non perfectam, sed aliquam, nempe remotam illam et generalem. Et Bernardinus Rosignolius apud Possevinum: ab aliis propter styli ac phraseos formulas (communes scilicet et universales) tribui Thomae de Kempis. Verum si res penitius inspiciatur, omnia, quae utrisque communia dicuntur, diversimode, alio atque alio modo particulari possunt efferri et de facto sic ab illis efferuntur, quae ratio peculiaris, omnem formam eloquii eiusque circumstantias individuas complectens, stylum particularem seu personalem utriusque inter se valde differentem constituit et efformat.

5. Thomas enim habenas stylo suo identidem laxat, verbis diffluit, non sic stringit nec ita movet, sententiis tantum pondus non addit, non adeo trahit, nec penetrat, neque detinet lectorem, quin brevi satur fastidiat, non tam est animosus, et excitatus, uno verbo, languit et stagnat prae illo, sclopos displodit, sed plumbo fere vacuos, fumum evomunt, at cor non feriunt, sonitum edunt, deditionem non urgent. Vicissim aenea libelli de imit. Christi tormenta numquam non penetrant, semper plumbo et recenti nitro animata movent immobilia, corda saxis duriora perfringunt et ad sui deditionem cogunt. Stylus libelli seu forma eloquii semper fluidus et scaturiens vivas evolvit aquas, unaque lectoris oculos ac mentem rapit secum, semper pellucidus et excitatus, semper apparens novus sibique similis; quasi aliud agens, digito monstrat, quid cogites, quid agas, ut mireris, illum tua prius descripsisse, quam tu paene noveris; plenus sententiis emphaticis et stringenti nervo, plenus mirabili animarum succo, plenus energia et vi quadam instar magnetis attractiva. Non est periodus, quae pondere careat; cuique hominum generi satisfacit; cuiusque intellectum convincit et suavi sententiarum penetrantium ac conscientiam singulorum convenientium illapsu ferit. Ipsa dictionis vivacitas nemini

fastidium subrepere sinit. Profundissimae humilitatis magister est incomparabilis, verbis vulgaribus efficacissime suadet et cum praeclaram sententiam iam terminasse putatur, adhuc superaddit verbum tanti ponderis, ut gemmam crederes auro coronari. Verbis sacrae scripturae loquitur ut suis, non torse, non affectate, uti nonnumquam Thomas. Medendis animae morbis, quidquid casu aperiatur et legatur, mirifice confert. Vix enim est, quod lectori praesens ulcus non aperiat et imposito non sanet emplastro, idque tam suaviter, tam leviter, ut nemo se tangi, nemo se uri aut secari doleat, quin immo candens hoc ferrum ad resecanda vitia saepius adhibere, inspicere et relegere nemo non gaudeat ac delectetur. Hic est stylus huius opusculi.

6. Quae causa est, quod in septuaginta palmis, seu panegyrico huius libelli a Gregorio Hesero S. I. concinnato et anno 1651. Ingolstadii edito hoc opus tantopere efferatur, ut elogio 1. Gabriel Butherbaeus, monachus fontis ebraldi Gallus dicat, hoc esse aurum, quod Teutones Gallis miserunt putum purum, velut Hiram rex Tyri ad ornamentum domus Domini, has esse peregrinas gazas, has exoticas gemmas, quibus superbiat triumphetque Gallia; elogio 3. Georgius Stengelius S. I. digitum Dei in tam coelesti sapientia annuentem et Spiritum sanctum e tam piis sententiis spirantem persentisci; elogio 19. auctor peritiae huius libelli: tantum in eis esse succum, tantam vim ac sententiarum, quibus passim abundant, gravitatem, ut in eisdem nihil mutari, adiungi aut demi possit. Opus plane integrum atque absolutum, cum omnes assequendae perfectionis gradus et vias attingat etc. Numquam satiat eius lectio aut nauseam parit, at mirifice audientis animum oblectat, etiam si millies repetatur. Et paulo post: latet in eo divina quaedam et occulta Spiritus sancti virtus, quae in legentis et audientis animum (modo id cum pietate et attento fiat) ita illabitur, ut eum penitus immutet et a rebus creatis in Deum transferat. Elogio 20. Achilles Gagliardus eiusdem societ.: causam disciplinae interioris hominis in eo esse plenitudinem, ut nihil desiderari possit; tantam spiritus et devotionis copiam ex eius lectione emanare, ut tamquam fons paradisi irriget et fecundet animas non solum incipientium et proficientium, sed etiam perfectorum, cum nulla tamen sit in eo aut certe modica eruditio, stylus etiam sit rudis admodum et simplex. Elogio 21. Henricus Sommalius ex eadem societ.: audivisse se non raro viros optimos, qui de hoc opusculo dicerent, se, cum maestitia animi vel molestiis aliis afflicti affectique fuissent, subito lectione unius modo capitis, quod forte incidissent, maerorem omnem abvertisse animumque a molestiis avocasse. Et Elogio 25.: fidenter et magna cum omnium approbatione se asseverare, in hoc auctore totius christianae philosophiae

compendium contineri. Et Elogio 58.: post sacros codices nullum librum tam cupide ab omnibus expetitum ac lectitatum a summis, mediis, infimis, nullum, qui in tam varias sit linguas transfusus atque omnium calculis approbetur.

7. Elogio 22. Hermanus Hugo eiusdem ordinis multos dicere frequenter, audivisse, solitos ex hoc libello sic quaerere in maerore consolationem, neque unquam falli. Elogio 23. Joannes Niessius idem complexus institutum: illam certe iamdudum in comperto esse experientiam, ut quemcunque ex divino hoc opusculo locum quis sortiatur, ille morbum animi, si quis est, tangat, miserum consoletur, abiectum erigat, timidum animet, praefidentem coerceat, sceleratum castiget, rudem doceat, eruditum in officio modestiae et demissionis contineat. Quid multa? Certius in nullis Ptolomaei fastis reperietis, quid quovis die canere, quid sequi debeatis, quam si huius libelli praeclara oracula e manibus numquam atque animis deponatis. Elogio 25. s. Ignatius Loyola a prandio vel aliis horis solitus fuerit alterum caput ex hoc libello evolvere, quod veluti casu aperto libello, sine ullo foliorum discrimine obtigisset, semperque invenerit in eo materiam praesenti animi statui accomodatam et quam ipse b. Pater eo tempore in animo impressam haberet.

8. Elogio 49. Heribertus Rosweydus: nullum paene in societatis suae domiciliis cubiculum esse, cuius auctor iste non sit inquilinus ac velut vernaculus. Elogio 51. Heserus ipse, ut post sacra Evangelia vix alius liber de christiana perfectione sublimius utiliusque scriptus videatur. Elogio 53. Ludovicus Granatensis ord. Praedicat: Accepta igitur, inquit, hunc librum de imitatione Christi pro amico tuo, neque procul umquam a te exulet. Postquam semel evolveris, ad caput redi; neque enim obsolescere aut generare fastidium legentibus solet. In iisdem verbis itendidem res novas intelliges ibique Spiritus sancti vestigia deprehendes, cuius gratia est inexhausta. Rursus elogio 62.: Tange, ait idem, gusta, experire, et vim verborum senties, manna degustabis, cui gustus talis inerit, qualem possis desiderare, quemadmodum illud fuit in deserto. Elogio 56. Julius Nigronus S. I.: Qui quattuor libros scripsit de imitatione Christi, ait, mirabiliter praecipit, movet affectus, suavitate spirituali corda legentium replet, ita ut decies repetitus placeat. Is libellus mihi continere videtur succum totius vitae spiritualis, compendium perfectionis, quintam (ut ita dicam) essentiam religiosae vitae ac sanctitatis, diuturno meditationis alambice per virum experientissimum expressam, tum ex aliis spiritualibus libris, tum ex unctione spiritus sancti. Elogio 65. Robertus S. E. R. cardinalis Bellarminus: Ego, ait, ab adolescentia et usque in senectam hoc opusculum saepissime volvi,

et semper mihi novum apparuit, et nunc etiam mirifice cordi meo sapit.

9. Quod si proinde huius nobilissimi tractatus et operum Thomae de Kempis eadem prorsus (ut vult Joannes Fronto) est dicendi forma, idem orationis filum ac ipsummet auctoris ingenium: qui fit, quod tot ac tanta encomia a catholicis doctoribus solum quattuor de imitatione libellis tribuantur et ne uni quidem opusculo ex omnibus Thomae de Kempis. Si (ut scribit Rosweydus) non rosa rosam magis redolet, quam liber de imitatione Christi similis est reliquis Thomae a Kempis scriptionibus: qui fit, quod Resweydus ipse Vind. vind. Kemp. cap. 11. fateatur, se non ignorare, libellum hunc prae aliis libris Thomae de Kempis nectare fluere? qui fit, quod flagrantiam libri de imitatione nemo mortalium in operibus Thomae de Kempis odoretur, nemo deprehendat, nemo etiam emunctissimae naris olfaciat et persentiscat; nemo denique relucentem in eo singularem illum spiritum inveniat? Sed omnes (quorum copiosum numerum Heserus contulit) praeteritis Thomae operibus hunc unum imitationis libellum in coelum usque efferant, aureum libellum nuncupent, immo divinum et divinissimum et omnium fere librorum praestantissimum, nec satis umquam laudatum, cui post scripturam canonicam similis sit nullus. Si ovum ovo tam simile non est, quam sint isti, quid, quaeso, causae, quod solus hic de imitatione (eodem Hesero teste) a summis pontificibus, S. R. E. cardinalibus, episcopis, imperatoribus aliisque religiosissimis viris in sinu quotidie gestatus, assidue lectus et relectus fuerit? Quae ratio, cur iste solus omnium gentium linguis certatim impressus circumferatur? Cur non et opera Thomae de Kempis in exteras translata sunt linguas, italicam videlicet, hispanicam, germanicam, bohemicam, ungaricam, gallicam, flandricam, brabanticam, catalonicam, anglicam, polonicam, graecam, turcicam, illyricam, arabicam, japonicam etc., in quas omnes solus ille de imitatione ab Hesero in Dioptra sua translatus esse commendatur? et quidem plures earum aliis atque aliis interpretibus et interpretationibus, certantibus inter se ingeniis et calamis, quis eorum melius et utilius tantum thesaurum regnis et provinciis inferret, adeo ut nec defuerint qui latinius, imo et versibus Elogiacis loquentem scholis inducerent ediscendum.

10. Quid hunc librum in toto terrarum orbe tam famosum et gratum reddidit, nisi peculiaris illa et innata emphasis et mirabilis ratio penetrandi usque ad divisionem spiritus et animae, quem stylum scriptoris particularem seu personalem et individuum vel cum s. Hieronymo formam eloquii nominamus et a stylo Thomae de Kempis tot celeber-

rimorum scriptorum testimonia secuti longe diversum affirmamus? Hinc recte noster Constantinus Cajetanus in apologiae pro Gersene cap. 8., cum Rosweydus illi obiecisset: Tunc hic styli diversitatem subodoraris? Non rosa rosam magis redolet etc., subintulit ille: Non subodoror tantum, Rosweyde, sed toto olfactu discerno dissonantiam styli, quam mecum omnes, qui libellum legerint, fatebuntur. Ibidemque addit, quendam e societ. Jesu, qui libellum de imitatione Christi lingua vulgari Panormi anno 1641. ediderat, in praefatione sic scripsisse: Stylus divini huius libri, quem vocamus Gersonem, totus est sententiosus et more coelestium aphorismatum paucissimis verbis magna dicit, intellectum convincit, movet voluntatem, nec multum excurrens accendit affectum ad omnem virtutem. E contra Thomas a Kempis; tametsi in suis operibus imitari voluit in conciso modo loquendi, in discursu tamen languidus est; spirat quidem devotionem, tamen non habet divinam illam vim ad ferienda corda, quae in Gersone invenitur. Et paulo post: Mihi dixit quidam servus Dei e societ. Jesu et magnus Theologus, quod cum ab ipso novitiatu se totum dedisset lectioni et meditationi librorum de imitatione Christi et operum Thomae a Kempis, motus hac sola styli diversitate, quam in re probaverat, semper existimavit, Thomam a Kempis non fuisse auctorem libelli de imit. Christi. In cuius (subiungit Caietanus) sententiam plures doctissimi et styli ascetici peritissimi viri eunt.

11. Nec dubitandum plurimos ex ead. societ. idipsum, si velint et ausint, ingenue fassuros, inter quos merito computandus Joannes Niess, qui cum non ignorarit Henrici Sommalii sollicitudinem et labores iam ab anno 1598. in asserendis Thomae Malleolo hisce libellis exantlatos nec Rosweydi vindicias annis 1617. et 1621. Antverpiensi prelo publicatas, iis tamen minime permoveri potuit, ut subscriberet; in epistola namque ad Parthenios, sodales Augustanos, quibus xenii loco dederat calendarium ex gnomis ac sententiis huius libelli in singulos anni dies pie confectum anno 1625., sic inter cetera praefatus est: Quod ergo astrologia corporibus, hoc animis vaticinari nostris solet aureus ille de im. Ch. libellus, cuius vulgo auctorem Thomam Kempensem dicunt. «Dicunt» ait, non «dicimus». Unde perperam Rosweydus cap. 11. vind. Kemp. nullum doctiorem et cordatiorem styli diversitatem hic deprehendere inquit. Deprehenderunt supra nominati, et adhuc coelum volvitur, Rosweyde. Deprehendent omnes, quotquot seposito patriae vel ordinis aut quovis alio privato affectu seu respectu, qualitates a Cicerone, Gellio, Werlino aliisque supra cap. 1. et 2. requisitas induere voluerint, agnoscentque tantam esse differentiam inter libros de im. Ch.

et opuscula Kempensia, quanta in grammaticis inter professoris et discipulorum argumenta seu versiones esse solet. Observavit hanc discrepantiam iterum Cajetanus in 2. edit. (1618.) suae concertationis fol. 99: Huic et illud accedit, inquiens, quod Thomas a Kemp. suis in opusculis multa pertractasse cognoscitur ac eamet ipsa, quae auctor libri de im. Ch. pertractavit, ut et cetera, haec tamen cum diversa scribendi ratione ac phrasi confecerit Thomas a K.; haud sane dubium, quin alienus ab eo de im. Ch. libri auctor habendus sit. Hunc enim vel unum de im. Ch. librum, si eius revera esset, consimili quoque stylo, aut saltem non adeo dispari conscribere debuisset.

12. Unde contra Werlinum et asseclas retorto argumento sic concludinus: Aiunt ex sententia praestantissimorum auctorum, ita posse cognosci ex stylo scriptorem, sicut quemlibet hominem ex facie; stylus enim secundum Hieronymum et Augustinum, ubi supra, est imago et facies ingeniorum, teste quoque Siracide cap. 19: Ex visu cognoscitur vir et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Atqui ex supra dictis constat longe aliam esse faciem et stylum seu formam eloquii librorum de im. Ch., quam operum Thomae de Kemp. Igitur ex sententia praestantissimorum auctorum possumus, immo debemus cognoscere et iudicare, alium esse scriptorem librorum de im. Ch. et alium operum Thomae de Kempis.

13. Quod quidem argumentum de stylo desumptum tantae est efficaciae, ut vel solum sufficiat ad quodvis opus cuicumque scriptori tributum abiudicandum, uti testantur, quotquot ipsimet ob eandem causam abiudicarunt, quos inter Cicero, Jul. Caesar, s. Hieronymus, s. Augustinus, Photius Constantinop., Sixtus Senensis, cardinalis Baronius, cardinalis Bellarminus, Anton. Possevinus, Jacobus Sirmondus, theologi Lovanienses, Parisienses aliique doctissimi viri, quin et ipse Heribertus Rosweydus, Simon Werlinus et Joannes Fronto, qui vim huius argumenti non ignorantes hac ipsa de causa toti mundo, quantumcumque reluctanti, persuadere nituntur, eundem esse stylum Thomae de Kempis, qui librorum de im. Ch. His accedit Fronto Ducaeus S. I. supra citatus, et ob id a Werlino laudatus, qui in suis ac curiosissimis notis ad pseudepigrapha s. Joannis Chrysostomi sermonem quendam de s. Thoma apostolo, mille abhinc et amplius annis et quidem a synodo Lateranensi, sub Martino I. et rursum a sexta synodo universali Constantinopolitana habita sub Agathone contra Monotheletas an. Chr. 681. s. Joanni Chrysostomo tributum non habita ratione tantae auctoritatis universalis ecclesiae nec millenariae possessionis, in qua fuerat ipse Chrysostomus, eidem acri suo iudicio abiudicavit, nulla alia de causa, quam propter styli, ut inquit, diversitatem.

Caput quartum.

Respondetur coniecturae Heriberti Rosweydi et aliorum styli disparitatem hic negantium.

1. Opponentes, visa tam manifesta et a toto terrarum orbe per supradictas tot linguarum versiones et praeconia agnita diversitate scriptionis librorum de im. Ch., cupientes vim argumenti subterfugere diversa latibula sibi quaerunt, quae singula excutiemus. Heribertus Rosweydus cap. 11. Vindic. Kemp. sola sua affirmatione et materiae diversitate se tuetur. Et vero, inquiens, qui aliquot opuscula Thomae de Kempis inter se comparare voluerit, nullo ille negotio paritatem styli deprehendet. Si de solis opusculis Thomae sermo sit, non abnuimus. Sin libellus de imitatione involvatur, simplicem affirmationem simplici negatione tollimus; immo dicimus, quod talis nullo negotio disparitatem styli deprehendet. Non ignoro equidem, pergit Rosweydus, libellum hunc prae aliis auctoris libris nectare fluere, sed non tam ex stylo id, quam ex materia exundat. Et Joannes Fronto part. III. §. 2. n. 2. Non nego, inquit, hoc in libro Thomam sibi excellere. Ingens telum, necessitas, magna vis veritatis, quae quemvis, etiam causae tractatae adversarium, in sui assensum compellit. Fatentur rosam rosae dissimilem et libellum hunc prae omnibus libris Thomae nectare fluere et excellere. Id vero ne stylo adscribere cogatur Rosweydus, ad asylum materiae se recipit, de qua et paulo post: Non mirum, inquit, idem Thomae nostro accidisse, ut unus eius libellus prae aliis placeat, gestetur sinu, legatur frequentius, delectabilius relegatur, non ob styli diversitatem, quam nullus doctior et cordatior hic deprehendit, sed ob materiam valde variam et omni statui aptam et singularem in eo relucentem spiritum.

2. Cum igitur ad materiam scriptionis provocet Rosweydus, placeat compendio percurrere, tam libros de im. Chr. quam opuscula Thomae de Kempis et obiter dispicere, num Thomae defuerit aliqua scribendi materia, quae in libello de im. Chr. continetur, ut cum constiterit, utrumque materiam eandem prae manibus habuisse, discamus discrimen et nectar illud ab ipsomet Rosweydo agnitum non ex materia, sed ex forma peculiaris eloquii seu stylo scriptionis exundare; prout contingit eandem materiam ab uno scriptore, oratore, concionatore, poeta etc. aliter et aliter tractari, quam ab alio. Sumamus primo librorum de imitatione singula capita, in eisque tractatam materiam ordine describamus; eandem deinde ex opusculis Thomae Kempensis iuxta editionem Sommalii suismet inscriptionibus subiungamus, ut verbis seu titulis formalibus utrimque iuxta se positis veritas a nobis asserta magis elucescat.

Index eiusdem utrobique tractatae materiae.

3. Lib. I. De imitatione Christi.

Cap. 1. De imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi. — De imitatione vitae Jesu Christi. Hortul. rosar. cap. 17. De brevitate omnis rei sub coelo. Manual. parvul. cap. 7. De elongatione a creaturis. Soliloq. cap. 9. De contemptu omnium consolationum terrenarum. Ibid. cap. 10. De abnegatione sui ipsius et contemptu consolationum terrenarum. Serm. 1. ad Fratres.

Cap. 2. De humili sentire sui ipsius. — De recognitione propriae fragilitatis. Discipl. claustral. cap. 1.

Cap. 3. De doctrina veritatis. — De doctrina Jesu et humilitate eius. Manual. parvul. cap. 2.

Cap. 4. De prudentia in agendis. — De praemeditatione circa operanda. Lib. 1. de fidel. dispensator. cap. 7. De prudentia religiosa in omni facto. Ibid. cap. 8. De discretione in spirituali exercitio servanda. Discipl. claustral. cap. 9.

Cap. 5. De lectione sanctarum scripturarum. — De commendatione sacrae scripturae. Doctrinal. iuven. cap. 1. De thesauro eloquiorum divinor. Ibid. cap. 3. Consolatio in scripturis divinis. Lib. 1. de solitud. cap. 9. De claro intellectu sacrae scripturae. Vall. lilior. cap. 21.

Cap. 6. De inordinatis affectionibus. — De passionibus vincendis. Lib. 1. de fidel. dispensator. cap. 10.

Cap. 7. De vana spe et elatione fugienda. — De vana gloria cavenda. Part. 1. serm. 8. ad novit. De contemptu vanae gloriae. De recognit. propr. fragilit. cap. 2.

Cap. 8. De cavenda nimia familiaritate. — De bona societate quaerenda et mala fugienda. Hortul. rosar. cap. 1. De periculis novitiorum ex consortio mundanorum. Dial. novit. cap. 4. Qui sint vitandi. Lib. 1. de fideli dispensator. cap. 17.

Cap. 9. De obedientia et subiectione. — De virtute sancta obedientiae. Exercit. spiritual. cap. 12. De vana gloria vitanda et humili obedientia sectanda. Part. 2. Serm. 8. ad novit.

Cap. 10. De cavenda superfluitate verborum. — De custodia oris etc. Part. 1. serm. 7. ad novit. De periculo multorum malorum ex multiloquio. Ibid. serm. 9.

Cap. 11. De pace acquirenda et zelo proficiendi. — De pace cordis et quiete in Deo. Vall. lilior. cap. 8.

Cap. 12. De utilitate adversitatis. — De multis tribulationibus iustorum. Part. 2. serm. 1. ad novit.

Cap. 13. De tentationibus resistendis. — De forti certamine contra vitia. Vall. lilior. cap. 14. De quotidiano martyrio et bello in statu religionis. Part. 2. serm. 2. ad novit.

Cap. 14. De temerario iudicio. — De custodia conscientiae. Vall. lilior. cap. 17.

Cap. 15. De operibus ex charitate factis. — De laude charitatis et fructibus eius. Hortul. rosar. cap. 13.

Cap. 16. De sufferentia defectuum aliorum. — De supportatione fraternae infirmitatis. De recognit. propr. fragilit. cap. 4.

Cap. 17. De monastica vita. — De laudabile statu religiosorum, si bene servetur. Dialog. nov. cap. 3. In quibus consistit disciplina claustralis. Discipl. claust. cap. 1.

Cap. 18. De exemplis sanctorum patrum. — De exemplis Eremitarum. Vita boni monach. cap. 3. De dono solitudinis, exemplo Christi et ss. patrum. Serm. 7. ad. fratr. De magna humilitate s. Francisci. Manual. parv. cap. 5.

Cap. 19. De exercitiis boni religiosi. — De laude bonae congregationis. Part. 1. serm. 2. ad novit. De custodia cellae. Spiritual. exercit. cap. 8. De bono cellae custoditae. Ibid. cap. 15.

Cap. 20. De amore solitudinis et silentii. — De commendatione solitudinis. Lib. 1. de solitud. c. 1. et 5. De vita solitaria et silentio. Toto lib. 2. de silentio. De commendatione cellae et solitudinis. Discipl. claustr. c. 7. De custodia cellae. De recogn. propr. fragil. c. 4. De bono solitudinis. Serm. 7. ad fratres. De bono silentio. Ibid. serm. 8. De solitudine cordis. Ibid. serm. 9.

Cap. 21. De compunctione cordis. — De vera compunctione cordis. Toto libello. De duplici compunctione animae. Serm. 3. ad. fratres.

Cap. 22. De consideratione humanae miseriae. — De brevitate et miseria praesentis vitae. Soliloq. c. 5.

Cap. 23. De meditatione mortis. — De optatione mortis bonae. Soliloq. c. 7. De incerta hora mortis. Vall. lilior. c. 25.

Cap. 24. De iudicio et poenis peccatorum. — De districto Dei iudicio. Soliloq. c. 2. De districto Dei iudicio. Part. 2. serm. 7. ad novit. De timore aeternae poenae. Vall. lilior. c: 11.

Cap. 25. De ferventi emendatione totius vitae. — De fervida exhortatione ad virtutes. De recogn. propr. fragil. c. 1.

4. Lib. II. de imitatione Christi.

Cap. 1. De interna conversatione. — Quod prudens sit tibi intimus. Lib. 1. de fidel. dispens. c. 9.

Cap. 2. De humili submissione. — De humili subiectione et sui ipsius resignatione. De rec. prop. frag. c. 6. De reverentia Praelatorum. Lib. 1. de fid. disp. c. 24. De verbis et consiliis seniorum humiliter audiendis. P. 1. serm. 3. ad. nov.

Cap. 3. De bono et pacifico homine. — De bona et pacifica vita. Alia Spirit. exercit. c. 17. De bona custodia

cordis et oris. Enchirid. monach. c. 2. De arcta custodia cordis et oris. Manual. parv. c. 13.

Cap. 4. De pura mente et simplici intentione. — De munditia cordis. Enchir. monach. c. 9.

Cap. 5. De propria consideratione. — De remediis contra vanam gloriam et laudem. Ench. mon. c. 8.

Cap. 6. De laetitia bonae conscientiae. — De gaudio bonae conscientiae. Hort. rosar. c. 8.

Cap. 7. De amore Jesu super omnia. — De charitate Dei et proximi. Discipl. claustr. c. 11.

Cap. 8. De familiari amicitia Jesu. — De accessu ad sanctum sanctorum Jesum Christum. Soliloq. c. 22.

Cap. 9. De carentia omnis solatii. — De spirituali inopia ex subtractione suavitatis internae. De rec. pr. frag. c. 5.

Cap. 10. De gratitudine pro gratia Dei. — De agendis gratiis pro beneficiis. Soliloq. c. 25. De gratitudine animae pro omni bono. Vall. lilior. c. 5. De laude Dei ex devotione. De recogn. propr. fragilit. c. 8.

Cap. 11. De paucitate amatorum crucis Christi. — De conformitate animae devotae cum crucifixo. Vall. lilior. c. 6.

Cap. 12. De regia via sanctae crucis. — De cruce quotidie tollenda in religione assumpta. P. 3. serm. 1. ad nov.

5. Lib. III. de imitatione Christi.

Cap. 1. De interna Christi ad animam fidelem locutione. — De vera et interna consolatione animae. Ench. mon. c. 6.

Cap. 2. Quod veritas intus loquitur sine strepitu verborum. — De recollectione cordis in silentio oris. Ench. mon. c. 7.

Cap. 3. Quod verba Dei humiliter sint audienda et quod multi ea non ponderant. — De auditione et lectione divini sermonis. Hort. rosar. c. 6.

Cap. 4. Quod in veritate et humilitate coram Deo conversandum sit. — De recta via iustorum ad regnum coelorum. Ench. mon. cap. 1.

Cap. 5. De mirabili effectu divini amoris. — De magna dulcedine et consolatione in Deo. Soliloq. c. 11.

Cap. 6. De probatione veri amatoris. — De probatione devotorum. Vall. lilior. c. 3. De vero amatore Dei. Vall. lilior. c. 4.

Cap. 7. De occultanda gratia sub humilitatis custodia. — De humilitate. Lib. trium tabernac. c. 2.

Cap. 8. De vili aestimatione sui ipsius. — De commendatione humilitatis. De mortific. sui ips. c. 1.

Cap. 9. Quod omnia ad Deum, sicut ad finem ultimum, sunt referenda. — De summo bono et ultimo fine in solo Deo ponendo. Vall. lilior. c. 34. De elevatione et directione cordis ad Deum. Libell. exercit. spirit. c. 3.

Cap. 10. Quod spreto mundo dulce est servire Christo. — De fuga seculi et laqueis diaboli. Hort. ros. c. 2. De mortuo mundo, cuius vita est in Christo. Soliloq. c. 8.

Cap. 11. Quod desideria cordis examinanda sunt et moderanda. — De laudibus pretiosae margaritae castitatis. Serm. 4. ad fratr. De custodia castitatis. Ibid. serm. 5.

Cap. 12. De informatione patientiae et luctamine adversus concupiscentias. — De spirituali militia contra vitia. P. 2. serm. 9. ad nov. Contra carnalia tentamenta. S. 6. ad fratr.

Cap. 13. De obedientia humilis subditi ad exemplum Jesu Christi. — De obedientia humilis subditi erga praelatum. Disc. claustr. c. 4.

Cap. 14. De occultis Dei iudiciis considerandis, ne extollamur in bonis. — De vitio vanae gloriae et propriae complacentiae. Hosp. paup. c. 12.

Cap. 15. Qualiter standum sit ac orandum in omni re desiderabili. — De vera conversione ad Deum. Discipl. claustr. c. 3.

Cap. 16. Quod verum solatium in solo Deo est quaerendum. — De maerore et consolatione animae in Deo. Serm. 2. ad fratr.

Cap. 17. Quod omnis sollicitudo in Deo statuenda est. — De virili confidentia in Christo. Alia spirit. exercit. c. 14.

Cap. 18. Quod temporales miseriae exemplo Christi aequanimiter sint ferendae. — De brevitate et miseria praesentis vitae. Solil. c. 5.

Cap. 19. De tolerantia iniuriarum et quis verus patiens probetur. — De variis bellis impiorum et patientia piorum. Hospit. paup. c. 13.

Cap. 20. De confessione propriae infirmitatis et huius vitae miseriis. — De humilitate. Lib. trium tabernac. c. 1.

Cap. 21. Quod in Deo super omnia bona et dona requiescendum sit. — De unione animae cum Deo et subtractione gratiae. Solil. c. 13.

Cap. 22. De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. — De agendis gratiis pro acceptis beneficiis. Soliloq. c. 25.

Cap. 23. De quattuor magnam importantibus pacem. — De pace cordis et quiete in Deo. Vall. lilior. c. 8.

Cap. 24. De evitatione curiosae inquisitionis super alterius vita. — De vitandis cuique rebus sibi non commissis. De fidel. disp. c. 27.

Cap. 25. In quibus vera pax cordis et verus profectus consistit. — De vera pace cordis in virtutibus. Ench. mon. c. 10.

Cap. 26. De eminentia liberae mentis, quam supplex oratio magis meretur quam lectio. — De virtute orationis et utilitate sacrae lectionis. Hort. ros. c. 12. De frequentia orandi. Manual. parv. c. 14.

Cap. 27. Quod privatus amor ab summo bono maxime retardat. — De unico ac summo bono quaerendo. Soliloq. c. 12.

c. 10. De utili exercitio in vita et passione Christi. Discipl. claust. c. 13.

Cap. 44. De non attrahendo sibi res exteriores. — De fabulis et otio vitandis. Exerc. spir. c. 7.

Cap. 45. Quod omnibus non est credendum et de facili lapsu verborum. — De non credendis facile novitatibus. De fid. disp. c. 15. De custodia oris et exercitio laboris. Discipl. claust. c. 6.

Cap. 46. De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum iacula. — De refugio ad Deum semper habendo. Alia spir. exerc. c. 12.

47. Quod omnia gravia pro aeterna vita sunt toleranda. — De multis tribulationibus iustorum pro regno coelorum. P. 2. s. 1. ad nov. De aeterno vitae praemio promerendo. Manual. parv. c. 15.

Cap. 48. De die aeternitatis et huius vitae angustiis. — De gemitu animae et dilatione gloriae. Sol. 20. De memoria coelestis patriae. Ibid. c. 21.

Cap. 49. De desiderio aeternae vitae et quanta sint certantibus promissa. — De anhelatione vitae aeternae. Soliloq. c. 6. De desiderio divinae fruitionis. Ibid. c. 19. De duplici compunctione animae pro coelesti patria. S. 3. ad fratr. De desiderio animae ad coeleste regnum. Discipl. claust. c. 16. De desiderio coelestium gaudiorum. Doctr. iuven. c. 12. De aeterna laude Dei et desiderio aeternae gloriae. Vall. lil. c. 26.

Cap. 50. Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre. — De beneplacito Dei et confidentia in adversis habenda. Discipl. claust. c. 8.

Cap. 51. Quod humilibus insistendum sit operibus, cum deficitur a summis. — De custodia cordis reditu ad interiora. Discipl. claust. c. 5.

Cap. 52. Quod homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus. — De dolore et fletu peccatorum. Soliloq. c. 3.

Cap. 53. Quod gratia Dei non miscetur sapientibus terrena. — De cauta custodia cordis et gratia internae devotionis. P. 2. s. 4. ad novit.

Cap. 54. De diversis motibus naturae et gratiae.

Cap. 55. De corruptione naturae et efficacia gratiae divinae. — De scrutinio super dilecto et donis gratiae eius. Soliloq. c. 15.

Cap. 56. Quod nos ipsos abnegare et Christum imitari debemus per crucem. — De patientia. Lib. trium tabern. c. 3.

Cap. 57. Quod homo non sit nimis deiectus, quando in aliquos labitur defectus. — De fiducia in Deo habenda tempore augustiae. Hort. ros. c. 11.

Cap. 58. De altioribus rebus et occultis iudiciis Dei non scrutandis. — De humilitate nostra secundum ordinationem Dei. Lib. 1. de solitud. c. 3.

Cap. 59. Quod omnis spes et fiducia in solo Deo figenda est. — De divino solatio in tribulatione. Vall. lilior. c. 16. De refugio ad Deum semper habendo. Alia spir. exerc. c. 12.

Lib. IV. de imitatione Christi.

Capita octodecim de venerabili sacramento altaris. — De communione Eucharistiae. Lib. 2. de silentio capp. 31—36.

6. Nunc, prudens lector, iudica, num Thomae Kempensi defuerit aliquid illius materiae, ex qua Rosweydus nectar illud exundare asserit in libris de im. Chr. palam cognitum et laudatum. Quod si nihil illi defuit, immo pluribus locis (ut vidimus) superfluit, qui factum, quod in opusculis Thomae nectaris illius nihil unquam profluxerit, sed tota domus ecclesiae catholicae repleta sit ex odore solius unguenti libelli de im. Chr., tot gentium linguis effusi? An non ex hoc liquido constat, nectar illud aliunde, quam ex materia scriptionis emanare? Si enim ex materia proflueret, promanaret, ubicumque eadem est materia, quod cum non fiat, evidens est ex alia vena scaturire. Et unde, nisi ex peculiari forma eloquii seu stylo singulari, circa unam eandemque materiam nervosius et efficacius discurrente?

7. Instat Rosweydus: istud hic fieri ob materiam valde variam et omni statui aptam. Respondemus: hanc materiam aeque in opusculis Thomae de Kempis inveniri, sed non aequali stylo, non eodem nervo tractari. Deinde si materia valde varia est et ex illa spiritus et nectar illud exundat, oporteret spiritum variari pro varietate materiae; at hoc non fit. Quanta differentia inter materiam quarti libri et reliquorum trium? Idem tamen fluit undique nectar, idem stylus. Sed nec omni statui apta est quaevis materia. Quid enim ad saeculares et conjugatos caput 17. libr. 1. de vita monastica? Quid caput 18. de exemplis sanctorum patrum? caput 19. de exercitiis boni religiosi? caput 20. de amore solitudinis et silentii? Quid libr. 3. cap. 8., quod spreto mundo dulce est servire Christo? quid denique cap. 56. ibid.: Vere vita boni monachi crux est et dux paradisi. Inceptum est, retro abire non licet nec relinquere oportet. Eia fratres, pergamus simul, Jesus erit nobiscum; propter Jesum suscepimus hanc crucem, propter Jesum perseveremus in cruce. Erit adiutor noster, qui est dux noster et praecessor. En! rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter etc.; aliaque plura, quae cap. 21. fusius adducemus (ut sileamus de quarto libro ex integro), ex quibus constabit, auctorem non pro omni statu, nec pro solis Werlini devotis, adeo tamen nervose et suculente hos scrip-

sisse libellos, ut suo modo omni statui ob doctrinae fecunditatem et exundantiam usui esse possint.

8. In fine denique subnectit Rosweydus, libellum hunc prae aliis placere sinuque gestari etc. ob singularem in eo relucentem spiritum. Istud ipsissimum est, quod et nos asserimus. Verum hoc in eo se ipsum vulnerat Rosweydus. Si enim singularis ille spiritus relucet ex materia, cur in opusculis Thomae de Kempis aliorumque auctorum eandem materiam tractantium non idem relucet? Sin aliunde, dic sodes, unde? Cum totus libellus suo modo, instar cuiuslibet compositi physici, non constet ex materia et forma, forma, inquam, eloquii, quae coniuncta scriptionis materiae, multis scriptoribus asceticis communi, compositum huius libelli velut anima perficit, vivificat et in eam praestantiam educit, quae universo christiano orbi prae omnibus Thomae aliorumque operibus commendetur, atque hanc ipsam scriptionis stylum nominamus. Et haec ad Rosweydum.

9. Simon Werlinus in suis vind. vind. fol. 204, posteaquam stylum Kempensem (ut supra meminimus) latissimo circulo descripsisset, unico innixus motivo, eidem libellos de imitatione includere conatur, quadam nimirum sententiarum similitudine persuasus. Conferamus, inquit, sententias aliquot, exempli gratia:

P. 2. serm. 14. ad novit. n. 9: Quid prodest altus status sine humilitate et charitate. Manual. parvul. c. 7: Omnia praetereunt praeter amare Deum et iuste vivere. Ibid. c. 9: Vere magna securitas conscientiae et iucunditas cordis, stare in subiectione et obedientia. Hort. rosar. c. 15: Si non potes parva vincere, non poteris graviora superare. De recogn. propr. frag. c. 6: Qui se ipsum non vincit in parvis, quando maiora superabit? Soliloqu. c. 25. n. 2: O quantum ferveret, qui parvam scintillam caritatis tuae haberet? De fidel. dispens. c. 1. §. 7: Multum facit, qui rem debite et bene facit. Doctr. iuv. c. 4: Ille rem bene facit, qui nihil negligit, quod status et ordo requirit. De discipl. claustr. c. 11: Saepe putatur esse caritas, et est magis carnalitas. Vall. lilior. c. 1.: Habitus exterior parum valet sine interiore virtute coram Deo. Hort. ros. c. 15: Saepe parva res est, unde homo valde graviter tentatur in se ipso. De silentio §. 36: Religiosa anima habet intus Christum, loquens cum beatissima Agatha: Mens mea solidata est et in Christo fundata. — De imitat. Christi l. I. c. 1., n. 3: Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde etc. Ibid. n. 3: Vanitas vanitatum et omnia vanitas praeter amare Deum et illi soli servire. Ibid. c. 9. n. 1: Valde magnum est in obedientia stare, sub praelato vivere et sui iuris non esse. Ibid. c. 11: Si non vincis parva et levia, quando superabis difficiliora? Item c. 15: O qui scintillam haberet verae caritatis,

profecto omnia terrena sentiret plena fore vanitatis. Ibid.: Multum facit, qui multum diligit, multum facit, qui rem bene facit, bene facit, qui communitati magis quam voluntati suae servit. Ibid.: Saepe videtur esse caritas, et est magis carnalitas. Cap. 17: Habitus et tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum. Lib. III. c. 20: Saepe parva res est, quae me dejicit et contristat. Ibid.: Valde vilis quandoque res est, unde gravis tentatio provenit. Lib. III. c. 45. n. 3: O quam bene sapuit sancta illa anima, quae dixit: «Mens mea solidata est et in Christo fundata». Hic est totus Achilles Werlini.

10. Cui respondemus primo: ex eiusmodi brevioribus sententiis iudicium de stylo auctoris universo ferri neutiquam posse. Stylus enim ampliorem in se complectitur circumferentiam, ut ex una alterave linea dignoscatur. Fatetur Werlinus, ubi supra, ita posse cognosci ex stylo auctorem, sicut quemlibet hominem ex facie. Homo vero non cognoscitur ex facie, nisi ea tota appareat; possunt enim plura lineamenta duobus esse communia. Proindeque opus est, vultus integros aperire, ut singula examinentur; nisi enim omnia convenerint, alia iudicabitur facies unius, alia alterius. Sic et facies styli non tota apparet in succinctis huiusmodi gnomis, sed integros oportet conferre manipulos, ut, quid adsit, quid desit, appareat. Laboriosum non esset, ex sanctis patribus aliisque libris asceticis sexcentas conquirere sententias, quae cum libello de im. Chr. vel opusculis Thomae de K. in sensu et verbis aliquibus consentirent; neque tamen sequitur, eundem omnium esse stylum vel auctorem. Cornelius a Lapide praefatione commentariorum in epistolam catholicam s. Iudae octo decem ponit eiusmodi sententias parallelas, extractas ex brevissima epistola s. Iudae et epistola 2. s. Petri apostolorum, neque tamen inde concludi vult eundem utriusque fuisse scriptorem. Respondemus secundo: Werlinum male argumentari ab eodem sensu sententiarum ad eundem stylum. Sensus enim et stylus totis inter se differunt polis. Mittatur unius eiusdemque paragraphi sensus Ciceroni, qui Iusto Lipsio; ambo sua versione reddent eundem sensum, stylus autem tantum distabit, quantum Roma Lovanio. Actum proinde agit Werlinus.

11. Qui et fol. 17. adducens aliquot germanismos ex libris de im. Chr., ut lib. 1. c. 15. n. 3, o qui scintillam haberet verae charitatis etc. et c. 20. n. 4. o qui numquam transitoriam gloriam quaereret etc., o qui omnem vanam sollicitudinem amputaret etc.; et eandem loquendi phrasin inveniens in opusculis Thomae de K. mox concludit, eundem utrobique stylum et auctorem esse, hoc, inquiens, aut germanicum aut certe Thomaeum est nulli praeter Kempensem familiare scriptori. Germanismos non nego, quoad alterum

unum, qui prae manibus occurrit, ipsi scriptorem oppono Gerardum Belgam, monachum O. S. B., cuius opusculorum pars tertia, opera R. P. Gabrielis Bucelini Wengartensis ordinis eiusdem prodiit anno 1641. in monasterio s. Galli typis excusa, continetque commentarium in regulam s. Benedicti, ubi Gerardus (ut et alibi) hanc phrasin sibi familiarem frequentissime usurpat, v. g. c. 2. §. ult: O qui istud negligat saepe etiam interdiu facere? Cap. 4. §. 9: O qui istam regulam iugiter attendat, neque quidquam cuiquam, quam quod sibi fieri velit, faciat; et §. 13: O qui illo reficiatur, quod nemo satis explicet, verbo? Cap. 35: O qui intelligat, quantum in culina monachus sedulus possit proficere? Cap. 39: O qui vere intelligat suam paupertatem? Cap. 43: O cui nec literula ad plenum absolvitur? O eo ipso absolutissimum, quo sic imperfectum relinquitur! Cap. 53: O cui contigit tam multum tam facili negotio meruisse? Cap. 60: O qui huius unius immemor sit etc. Haec pro Werlino sufficiant.

12. Audiamus tertium, Joannem Frontonem in suo Thoma de Kempis vindicato part. 3. §. 2., ubi cum amplissimo etiam circulo stylum Kempensem n. 3. descripsisset, hisce formulis verborum identitatem styli probare conatur. Num. 6. frequens est, ait, in exhortando Thomas uti particula «eia» idque confirmat pluribus utrimque paralellis positis exemplis. Num. 6. multus quoque est, pergit, et fere totus in exclamando per «o quam». Addere potuisset illo sap. 4. 2: O quam pulchra est casta generatio! Et sap. 12. 1: O quam bonus et suavis est etc. Eodem num. in utrisque operibus, subdit Fronto, repletus est Thomas suspiriorum per «o», ubi allatis a se exemplis subiungere potuisset illa Christi Domini Math. 15. 28: O mulier, magna est fides tua. Math. 17. 26: O generatio incredula et perversa. Rom. 11. 33: O altitudo divitiarum, aliaque plurima. Num. 7. saepius argumentatur per «si» etc. «o, si». Num. 8. Si quando testimonio utatur vel exemplo alicuius, haud aliter appellare consuluit, quam dicendo «quidam». Subinfert exempla, quibus commodissime annexuisset illa Luc. 14. 2: homo quidam hydropicus; et vers. 16: homo quidam fecit coenam magnam. Luc. 15. 11: Homo quidam habuit duos filios. Luc. 16. 1. et 19: Homo quidam erat dives. Luc. 19. 12: homo quidam nobilis. Luc. 20: Homo quidam plantavit vineam, aliaque sexcenta. Eod num. detestatur plerumque et queritur per «Proh dolor!» Et quis aliter lamentatur? Num. 9. nimio plus literis deditos passim carpit ac lancinat, non immerito, quia omne nimium vertitur in vitium. Est modus in rebus etc. Num. 10. familiare est illi sanctos in exemplis adducere, neminem tamen illorum nominatim appellando. Communissimum hoc est omnibus libellis spiritualibus. Num. 11. solenne est illi urgere idem argumentum

ac instare eadem praeeunte loquendi formula, v. g. ex libr. 3, de imit. Christi cap. 1. n. 1.: Beata anima, quae dominum etc., beatae aures, quae etc., beatae plane aures etc., beati oculi, qui etc., beati, qui interna penetrant etc.; quibus miror non addidisse illa Matth. cap. 5.: Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici etc. Istane, mi Fronto, sint argumenta vel indicia eiusdem scriptionis styli et eiusdem auctoris? Tempus perdidisti et causam, oleum simul et operam.

13. Num. 12. confirmatur, pergit ulterius, ex sententiarum et sermonis similitudine aut etiam identitate. Subiungit exempla decem brevium sententiarum, uti supra fecerat Werlinus. Cui idem responsum damus, quod illi: idem sententiarum sensus, non est idem stylus. Num. 13. attexam unum, concludit Fronto, quod nec solum rem expediat, quove uno adversariorum machinamenta pessumdabuntur. Auctor libri de im. Chr. solet uti hac voce «leviter» alio plane sensu etc. Est enim illi idem ac facile et infra. Et ipse Thomas alibi suorum operum eandem simili significatu usurpavit; ac paulo post: Itaque «leviter» illud non leviter facit ad rem; si quis deinceps negabit Thomam utrisque suorum librorum sibi esse similem, tam ipsum animi deceptum asseram, quam illud falsum esse demonstratum est. Hactenus Fronto, qui pro se prudenter egit, iudicia utrimque eadem aut similia conquirenda, diversa vero omittendo. At non mox eundem stylum habet cum libello de im. Chr. quisquis voculas illas frequentat: «eja, o quam, o, quidam, proh dolor, leviter pro facile» etc., quas plerasque etiam Plautus, Terentius, Gellius aliique tam spirituales tam profani scriptores, qui ab hoc stylo longissime absunt, usurpant. Etiam *τὸ* leviter pro facile apud auctores Germanos passim invenio, neque tamen ideo libellum de im. Chr. vel opuscula Thomae de Kempis composuerunt. In accessu ad stylum datur magis et minus, alter remotius, alter propius accedit, neuter tamen est ipsus ille, ad quem accedunt. Ut vero unus idemque sit stylus ex toto, necesse est nihil utrimque simile desiderari, id quod Fronto non probat nec probabit unquam. Et quid mirum! si Thomas ex frequenti lectione de im. Chr. nonnullas loquendi formulas didicit easque pro modulo suo imitari conatus est, licet styli illius plenitudinem assequi numquam potuerit?

14. Quartus nunc accedat dissonantiam hanc reiiciens, Gregorius Heserus S. J. in sua, ut vocat, summula Cajetani abbatis, edita Ingolstadii an. 1650, ubi fol. 47. decimum sextum argumentum contra se sic proponit: Stylus libelli de im. Chr. non est similis stylo exterorum librorum Thomae a Kempis; ergo hic non est auctor illius libelli. Huic respondet: Miror isthoc adversarios telum stringere; audiamus, quam ob rem id libelli tributum dicat Robertus Bellarminus

Gersenis quondam fautor: «ob similitudinem styli», quam ob causam Bernardinus Rossignolius, qui primus classicum pro Gersene cecinit: «propter styli ac phraseos formulas». Et tu Cajetane sagacissime, non subodoraris tantum, sed toto olfactu discernis dissonantiam styli. Apolog. c. 8. p. 77. multa disseruit de stylo Simon Diessensis, part. 2. cap. 5. Rosweydus rediviv., quem, si placet, consule. Cui breviter respondemus: 1. Argumenta contraria, per solam respondentia admirationem, apud philosophos non recte solvi. 2. Quaerimus, an in toto orbe nemo sit praeter Bellarminum et Rossignolium, qui de styli dissonantia possit iudicare? 3. Desiderari dicimus fidem Heseri, in citando Bellarmino omittentis particulam sibi adversantem, nempe relativum «aliquam»; Bellarminus enim non scripserat: ob similitudinem styli, sed: ob similitudinem aliquam remotam, nimirum et generalem, non omnimodam. Idem dicendum ad Rossignolium, styli ac phraseos formulas quasdam communes et universales intelligentem, non vero totius styli plenitudinem. Vide, quae supra hac de re diximus cap. 3. n. 4.

Caput quintum.

Paradigma styli libelli de imit. Chr. cum stylo Thomae de Kempis collati.

1. Malo de stylo toto ex una alterave sententia breviore iudicium fieri paulo supra meminimus. Nos, ut quemlibet condicionibus cap. 2. requisitis instructum ad iudicandum in causa nostra libenter admittimus, ita quemvis etiam minus assuetum sequenti paradigmate ad discernendum invitamus, ubi exempli dumtaxat loco quatuor capita prima libellorum de im. Chr. descripsimus eisdemque consimilis materiae ex aliis opusculis Thomae de Kempis desumpta *παραλλήλως* contulimus, lectorem rogantes, ut purgatis auribus et iudicio attendere dignetur, quam multo plus defaecato magisque penetrativo stylo, quanta cum disparitate, quanta maiori dexteritate, maturitate, emphasi et spiritu eandem materiam seu thema tractet, et subigat aureus de imitatione libellus, quam Thomas a Kempis.

2. Libri primi de im. Chr.	Thomas a K.
Cap. 1. De im. Chr. et contemptu omn. van. mundi.	De abnegatione sui ipsius et contemptu consolationum terrenarum.
n. 1. Qui sequitur me etc. n. 2. Doctrina Christi. n. 3. 4. 5.	Serm. I. ad fratres. Qui non renunciaverit etc. usque n. 3.
3. Libri secundi.	Liber I. De fideli Dispens. cap. 9.
Cap. 1. De interna conversatione.	Quod prudens sit sibi intimus.
n. 1. 2. 3. usque: Et sit ipse timor tuus et amor tuus etc.	Eris prudens etc. usque in finem.

4. Libri III.	Enchiridium monachorum.
Cap. 1. De interna Christi locutione ad animam fidelem.	Cap. 6. De vera et interna consolatione animae.
n. 1. et 2. usque in finem.	Vincenti dabo manna etc. usque in finem.
5. Libri IV.	Libro II. De silentio. Cap. 31.
Cap. 1. Cum quanta reverentia Christus sit suscip.	De communione.
1. Haec (venite ad me omnes etc.) sunt verba tua, Christe etc.	Convenit etc. usque in finem.
n. 2. 3. 4. 5. usque: susceptus sum hospitio etc.	Capp. 32. 33. 34. 35. et 36. usque in finem.
n. 9. usque: duritia cordis humani etc.	

6. Vides, lector, quam in libello de im. Chr. nullum verbum sine suo pondere cadat? Vides, quam dispari stylo, motu ac spiritu ferantur utrimque hi duo calami, ingenia, iudicia, indoles et naturae? Solem et lunam iuxta se pariter ambulantes mihi videre videor, cum ex una parte libellum de imit. Chr., ex altera Thomae de Kempis opuscula contemplor et lego. Lustrat sol aureus orbem, aureus libellus animas piorum per universum orbem. Sol multo fertur sublimius, currit velocius, lucet constantius, penetrat profundius, illustrat clarius, fervet et calefacit sensibilius, nec est, qui se abscondat a calore eius. Qui se lunae radiis incaluisse dixerit, audivi neminem. Quanto proinde sol praeit in omnibus lunam, tanto libellus imitationis opuscula Thomae. Quod si quis hanc styli differentiam necdum satis animadvertit (prout inexpertis in discernendo vel in opinionem contrariam inclinatis aut praeoccupatis facile contingere potest) is, si veritatem serio indigare noluerit, ex indice utrobique tractatae paris materiae cap. IV. num. 3. 4. 5. supra a nobis collecto, amplissimum campum habebit, plura quam centum huiusmodi paradigmata sibiment formandi, eademque in ipsis opusculis legendi et inter sese conferendi.

7. Et quid mirum eandem materiam a diversis scriptoribus, oratoribus, concionatoribus, poetis etc. diversimode tractari. Ex eadem argilla diversa formant vasa diversi figuli, eo praestantiora, quo ipsi inter se excellunt. Ex eadem lapicidina vel eadem silva diversas erigunt statuas statuarii, sed alias Phidias, alias alii. Iisdem adhibitis coloribus tabulam pingit Apelles aut Zeuxis, quibus pictores vulgares. Sed proh dolor, quanto discrimine? ipsa pictura mox loquitur artificem. Sic et scriptio. Mentiar, si Thomas a Kempis vel semel auctoris de imitatione Christi penicillum assecutus est, tanta inter utriusque calamum seu ingenium differentia intercurrit. Identidem autem cum Werlino supra cit. moneo: qui odores rosae et lilii vult discernere, debet utrumque vicissim naribus admovere, idque saepius, donec discrimen observet. Experire. lector, et veritati per me assertae lubens, volens subscribes.

At hic obicit Joan. Fronto part. 3. Thomae vindicati §. 1: non facile mihi persuaserim Thomam a Kempis, virum tantae pietatis ac humilitatis, si solum exscripserit libros de im. Chr., auctori nomen ac honorem invidisse aut illud alias celatum voluisse. Mi Fronto, Thomas nomen auctoris non invidit, sed nescivit, nesciverunt alii amanuenses, qui ante et post Thomam eundem libellum citra auctoris nomen descripserunt; nescimus nos, nescient posteri; non invidemus, sed non videmus; quod utinam sciremus, profecto his calamorum libellis et bellis supersederemus.

Caput sextum.

Quadringenta sexaginta lineamenta seu papulae barbararum dictionum in facie styli scriptionisve Thomae de Kempis per eius opuscula sparsim observatae, quae arguunt eum libelli de imit. Christi (nihil horum uspiam in se continentis) auctorem non esse.

1. Allatam a Werlino comparationem stylum scriptionis cum facie humana quoad agnitionem conferente retinentes totam ingenii Kempensis faciem non ita pridem perlustravimus, totque papulas, verrucas et lineamenta minora in libello de im. Chr. nuspiam apparentia deprehendimus, ut ea, veluti partes styli integrantes et vultum unius ab altero discriminantes, in gratiam lectoris ex editione Sommalii ann. 1601. merito in unum colligere et ab oculis hic alphabetico ordine statuere visum fuerit. Contingit enim saepius faciem unius ab alterius ex solis papulis, lineamentis aut lacunis internosci.

Absconsus pro absconditus. De mortif. sui ips. n. 6. acceptabiliter c. 2. de silent. n. 12. adhaesivis. De mort. sui ips. n. 7. advocatrix. Solil. c. 24. n. 1. aestivali. Chron. cap. ibid. aeternaliter. Solil. c. 5. n. 1. affabulari. Serm. 10. ad nov. p. 2. n. 7. affectuosa connexio. Vita b. Lidw. p. 2. c. 10. n. 1. affectuose. Ibid. c. 21. n. 2. afflictivum. Medit. 13. n. 2. albulam. Medit. 27. n. 23. allectiva scientia. Vit. Flor. c. 18. n. 4. almiflui. Soliloqu. c. 23. n. 6. alteratio. Ib. c. 13. n. 6. amaricatus. Fidel. disp. c. 1. §. 16. amativis verbis. Medit. 8. n. 5. ambonem pro umbonem. Chron. s. Agnet. c. 1. quid amentius? Ench. mon. c. 8. n. 2. amicabiliter. Vit. b. Lidw. p. 2. c. 7. n. 2. amorosis. Ibid. c. 21. n. 4. angustiare. De trib. tabern. c. 1. n. 1. annulari. Hosp. paup. c. 20. n. 1. apothecarius meus. Vall. lil. c. 28. n. 3. appodiare. Medit. 24. n. 15. approximantes. Hort. ros. c. 9. n. 2. aquosis. Chron. c. 7. artistae. Vit. Gerardi magni c. 18. n. 7. arundinensem parietem. Vit. Lidw. p. 2. c. 16. n. 2. asinasse i. e. asino vectum esse. Medit. 19. n. 1. attingibile. Medit. 22. n. 4. attrectabilis. Solil. c. 1. n. 13. audibilis. ibid. c. 17. n. 1. augmentare. Vit. Lidw. p. 1. c. 23. n. 2. augmentari

Vit. Ger. mag. c. 25. n. 2. avisandum. Chron. c. 1. avisatus. Serm. 8. ad nov. p. 2. n. 8.

Bajulatrix. Vit. Lidw. p. 2. c. 24. n. 2. balneatione. Vit. Flor. c. 16. n. 2. balneatis. ibid. barbarizando. Prolog. vit. Flor. n. 4. bassatio corporis. Vit. Ger. m. c. 18. n. 14. bassus locus. Chron. c. 1. beguttas. Ibid. c. 29. beneficiatus. Med. 28. n. 5. beneventa. Orat. 5. n. 2. Bernarditae i. e. Cisterciensis. Vit. Ger. m. c. 18. n. 16. bestialibus. Soliloq. c. 3. n. 3. blada i. e. segetes. Chron. c. 26. 27. 29. blavei flores i. e. coloris cyanei. Serm. 8. ad nov. p. 3. n. 12. brasmas i. e. cyprinos latos, genus piscis. Chron. c. 4. braxatorium, officina cerevisiaris. Chron. c. 12. braxatorem. Med. 27. n. 24. braxatura. Vit. Arnold. Schonhov. n. 11. breviter pro brevi. Vit. Lidw. p. 2. c. 25. n. 2. burgenses i. e. cives. Vit. Ger. m. c. 11. n. 1. bursa i. e. marsuppium. Doctr. iuv. c. 7. n. 2.

Cachinnosus. Ench. mon. c. 2. n. 1. cantualibus. Chron. c. 5. §. 24. cancrosam. Vit. Lidw. p. 2. c. 33. (bis) capabile. Medit. 1. n. 20. Capella i. e. lararium. Chron. c. 15. captivor. De vera comp. n. 9. carentia, ae. Solil. c. 13. n. 5. carnositate. Vit. Lidw. p. 2. c. 28. n. 32. castificare. De silent. c. 2. n. 15. celeberrime. Vit. Lidw. p. 2. c. 14. n. 2. cellicola. De solit. c. 1. n. 23. cellita i. e. amans cellae. Disc. claustr. c. 7. n. 4. certificata. Vit. Lidw. p. 1. c. 13. n. 2. charistia i. e. annonae charitas. Chron. c. 24. choralis i. e qui chorum frequentat. Med. 28. n. 5. ciboriam. Chronic. c. 29. circumcinxit. Ibid. c. 12. circumcursitasti. Solil. c. 17. n. 8. circumlatrantium. Chron. c. 5. circumlucent. Solil. c. 25. n. 7. (Sommalius omisit τὸ circum.) circumlustrari Vit. Lidw. p. 2. c. 3. n. 1. circumvagantes. Vit. Gerard. m. c. 8. n. 3. clenodia. Vit. Lidw. p. 1. c. 16. n. 1. coadiuvandum. Vit. Ioan. Cacabi n. 2. comitativa i. e. comitatus. Vit. Lidw. p. 1. c. 11. n. 2. comitivas i. e. comitatum. Serm. 9. ad nov. p. 2. n. 9. commendabiliter. Chron. c. 8. commensalis. Ibid. c. 26. commote. Hort. ros. c. 15. n. 3. compassa. Vit. Lidw. p. 2. c. 23. n. 3. compassione. Ibid. c. 11. p. 1. n. 2. compassivus. Hosp. paup. c. 7. n. 2. compatienter. Serm. 8. ad nov. p. 2. n. 3. compauperari. De trib. tabern. c. 1. n. 2. complacitior. Sol. c. 21. n. 1. compresbytero. Vit. Henr. Brun. n. 1. compunctivis. Vita Florent. c. 8. n. 2. compunctuati. Ibid. §. quaedam notabil. n. 7. ex condolore crucifixi. Serm. 4. ad nov. p. 1. n. 2. Condomestici. Vit. Lidw. p. 2. c. 3. n. 1. pro conductu viae. Vall. lilior. c. 13. n. 1. confabulari cum Deo. Solil. prolog. etc. c. 20. n. 1. confessor i. e. a confessionibus. Vit. Lidw. p. 2. c. 7. n. 4. confirmativus. Hosp. paup. c. 7. n. 2. confortabilis. Serm. 10. ad nov. p. 2. confortativas species i. e. bellares. Vit. Flor. c. 17. n. 2. confortator. Vall. lilior. c. 29. n. 2. confusibi-

liter. Recog. prop. fragil. c. 1. n. 2. consentire nobis pro consenti. De ver. comp. n. 12. consocialis. Serm. 10. ad nov. p. 2. consocietate. Solil. c. 10. n. 8. consolatiosum verbum. Serm. 5. ad nov. p. 2. n. 3. consolativus. Hosp. paup. c. 7. n. 2. constudentes. Dial. nov. c. 6. n. 1. contristabili. Medit. 12. n. 2. cordialissimus. Vit. Ludb. Bern. n. 25. crapulosa mensa. Serm. 6. ad nov. p. 2. n. 5. cruciamina. Serm. 6. ad nov. p. 2. n. 4. cruentabitis pro cruentabimini. Med. 9. n. 4. cupifex. Vit. Lidw. p. 2. c. 5. n. 2. curatus i. e. parochus. Ibid. c. 8. n. 2. curialitas sermonis. Serm. 4. ad nov. p. 2. n. 2. curvitate. Vit. Ger. m. c. 18. n. 13.

Deceptoriae. Solil. c. 9. n. 4. defectibilitatem. Med. 3. n. 7. defectuosus. Vita Arn. Schonh. n. 11. defunctio i. e. obitus. Vit. Ger. m. c. 16. n. 5. deicidae. Med. 7. n. 5. deliciari. Vall. lil. c. 20. n. 2. deliciosum. De ver. comp. n. 13. despectiva multa. Vit. Joan. Cacab. n. 5. et 28. despectivo. Med. 26. n. 6. despectius. De solitud. c. 1. n. 14. denotariis. Vit. Flor. c. 15. n. 3. devotionale factum. Serm. 7. ad nov. p. 2. n. 3. dicibilis. Sol. c. 18. n. 4. diffamiam. Hort. ros. c. 17. n. 2. digestibile. Vit. Ger. m. c. 18. n. 17. dilector. Medit. 4. n. 3. dilectrix. Vit. Lidw. p. 2. c. 10. n. 1. dirigibile. Ibid. c. 5. n. 2. discantantes et alte clamantes. Vall. lil. c. 21. n. 4. discantus. Ibid. c. 25. n. 1. ditescereris. Medit. 3. n. 7. diu pro dudum. Vit. Lidw. p. 2. c. 18. n. 2. divaricatio. Ibid. c. 2. n. 2. diversimoda effigie. Ibid. c. 14. n. 2. dolositatis. Serm. 10. ad nov. p. 2. n. 6. domicella, domicelli. Serm. 5. ad nov. p. 3. n. 6. domicellarum omnium venustissima b. virgo. Ibid. serm. 6. n. 2. domunculam. Vit. Lidw. p. 2. c. 12. n. 2. domistadium. Chron. c. 3. dulciter. Manual. parv. c. 1. n. 2.

Elargitor. Solil. c. 10. n. 5. equitare super asinam et pullum. Med. 28. n. 1. erectivus. Hosp. paup. c. 7. n. 2. eremitare. Medit. 13. n. 5. eremitariae vitae. Vit. Lidw. p. 2. c. 11. n. 3. eremitarius. Vit. Gerard. Sutp. n. 3. excessivo. Solil. c. 20. n. 2. exemplaris vir. Chron. c. 24. exemplariter. Ibid. c. 29. exemplificavit. Vall. lil. c. 22. n. 2. experimentaliter. Vit. Ludb. Bern. n. 16. sicut experitur a multis (passive). Serm. 10. ad nov. p. 2. n. 6. expertam consolationem. Vit. Lidw. p. 2. c. 10. n. 3. expiatricem. Solil. c. 23. n. 5. extumulata i. e. effossa. Chron. c. 7. exultati steterunt. Ibid. c. 23.

Fabulata persona. Hort. ros. c. 10. n. 2. fabulationibus. Exerc. spir. c. 7. n. 2. (Sommalius supposuit fabulis) famatissimum. Vit. Ger. m. c. 3. n. 1. De trib. tabern. c. 1. n. 15. (Sommalius supposuit famosissimum.) febricitate. Vit. Lidw. p. 1. c. 8. n. 2. filiali. Chron. c. 1. finaliter. Vit. Lidw. p. 2. c. 9. n. 2. finibilem. Medit. 15. n. 3. fleubotobizandum. Vit. Ger. m. c. 18. n. 4. florentigenis i. e. discipulis Florentii.

Vit. Arn. Schonh. n. 6. florigenum sertum. Vit. Lidw. p. 2. c. 7. n. 3. fluviolum. Chron. c. 4. focaristae i. e. concubinarii. Vit. Ger. m. c. 14. n. 3. et c. 18. n. 2. forinsecam requiem. Solil. c. 10. n. 3. forinsecum solatium. Vall. lilior. c. 18. n. 5. formabilis. Solil. c. 17. n. 2. fraternaliter. Vid. Lud. Bern. n. 25. frontose. Vit. Flor. c. 22. n. 1. frui (sensu passivo). Medit. 16. n. 2. fruibili. Solil. c. 16. n. 8. furatae sunt secrete pecuniae inter prandendum. Serm. 8. ad nov. p. 3. n. 21. furatis occulte vestibus. Ibid. fustigari. Vall. lil. c. 15. n. 2.

Garrulationem. De silent. c. 2. n. 16. gaudentius (adverbialiter). Medit. 11. n. 1. grisei coloris vermes. Vit. Lidw. p. 1. c. 7. n. 1. secundum grossiorem intellectum. Fidel. disp. c. 3. §. 5.

Habilitavit. Vit. Flor. c. 22. n. 2. haereditet. Solil. c. 18. n. 3. hollandinos. Chron. c. 17. homeliare i. e. liber homiliarum. Chron. c. 20. honorationem. Vit. Ludb. Berneri n. 41. hospitarius. Chron. c. 27. hospitaverunt. Ibid. c. 22. hofia (praedium). Ibid. c. 26. humiliatio. Solil. c. 6. n. 3. hymnizemus. Medit. 5. n. 1.

Ieiunatio. Med. 14. n. 3. igniendum. Epist. 1. in fine. immisericordialitate. Vit. Lidw. p. 2. c. 12. n. 2. impeditiva. Vita Ger. mag. c. 15. n. 2. impetratrices. Soliloq. c. 20. n. 4. impurgatus. Exerc. spir. c. 3. n. 1. inattingibilis. Solil. c. 17. n. 2. incapabilis entitas. Ibid. n. 2. incauste. Vit. Lidw. p. 2. c. 27. n. 2. inclusagium. Chron. c. 26. incompassibili. Medit. 22. n. 8. incompassivus. Epist. 1. et vit. Ger. m. c. 14. n. 2. incompositione. Prolog. sol. n. 2. inconsolabiliter. Vit. Lidw. p. 1. c. 13. n. 2. inconsolatus. Soliloq. c. 16. n. 10. indelectabilius. De solitud. c. 1. n. 19. indenota. Solil. c. 10. n. 6. indevotior. ibid. c. 16. n. 9. indicibilem. Vit. Lidw. p. 1. c. 8. n. 1. indilate. Med. 23. n. 2. indissolutionem. Serm. 4. ad fratr. n. 3. industrior. Vit. Ger. m. c. 13. n. 1. industriosus. Vit. Lidw. p. 1. c. 5. n. 1. ineptitudo. Hort. ros. c. 15. n. 1. inexcogitabilis. Solil. c. 1. n. 13. inflativos cives. Vit. Flor. c. 19. n. 1. informativus. Chron. c. 29. infrigidat. Epist. 6. et de mortif. s. i. n. 6. infrigidatione. Chron. c. 26. infrigidatus. Ibid. infulget. Orat. 5. n. 2. infulsit. Solil. c. 11. n. 5. infusor. Ibid. c. 10. n. 5. inilluminatus. Ibid. n. 6. inoccupatus. De elevat. ment. §. 2. n. 2. inplanata i. e. non planata. Chron. c. 12. insecurus. De mortif. sui ips. n. 8. insertor. Solil. c. 16. n. 7. instructivus. Hosp. paup. c. 7. n. 2. intense. Soliloqu. c. 12. n. 25. internitatis gratiam habuit. Vit. Jac. Viana n. 1. intumulata i. e. sepulta. Chron. c. 7. investitione. Ibid. c. 27. 29. involuntarie. Ibid. c. 3. iocaliter. Vit. Joan. Brinker. n. 3. iocanter. Ibid. irradiatus. Vita Flor. c. 6. n. 2. itinerandum. Vit. Ger. m. c. 18. n. 4. itineratio. Vit. Arnoldi Schonh. n. 2. iuratione i. e. iuramento. Vit. Flor. c. 25. n. 3.

Laesivum factum. Solil. c. 8. n. 8. laesura, ae. Vit. Lidw. p. 1. c. 12. n. 1. laetabundum. Serm. 4. ad nov. p. 3. n. 2. laetanter. Consol. paup. n. 9. lavatura i. e. lotura. Vit. Flor. c. 16. in tit. laxationem. Discipl. claustr. c. 3. n. 1. laxis peccatorum debitis i. e. laxatis. Cant. 1. levigantur omnia gravia. Serm. 6. ad nov. p. 3. n. 1. (aliud est aspera laevigare, aliud levigare gravia; illud latinum, hoc barbarum est.) literatorie i. e. per scriptas literas. Chron. c. 2. locutorium. Hosp. paup. c. 17. n. 2. longiturnitas. Medit. 1. n. 2. loquium. Solit. c. 7. n. 2. (Sommalius ex loquio fecit alloquium.) lubricalis i. e. lubrica. Dial. nov. c. 4. n. 6. ludulus. Serm. 1. ad. nov. p. 1. n. 6. lullardus i. e. homo vilis et despectus. Vit. Flor. c. 9. n. 3. lutura i. e. lotura. Ibid. c. 11. n. 7.

Maestificat. Vall. lilior. c. 31. n. 3. manutergia. Chron. c. 27. masticata. Sol. c. 3. n. 3. masticatione. Chron. c. 3. mediare. Medit. 10. n. 6. melodizat. Dial. nov. c. 4. n. 6. mensurare. Soliloq. c. 15. n. 1. minorari. Vit. Lidw. p. 2. c. 5. n. 3. minoratione. Doctrin. iuven. c. 12. n. 2. miraculose. Vall. lilior. c. 33. n. 3. miseratrix. Serm. 4. ad nov. p. 3. n. 2. modicitas mea. Med. 18. n. 4. Solil. c. 22. n. 5. (Sommalius horrens substituit vis mea.) modicitatem. Vit. Lidw. p. 2. c. 22. n. 3. montuosus. Chron. c. 8. morsellum primi pomi. Serm. 10. ad nov. p. 2. n. 5. mosalis aqua (ex Mosa flumine). Vit. Lidw. p. 1. c. 6. n. 1. mundialibus. Medit. 15. n. 1. murmurosus. Serm. 9. ad nov. p. 1. n. 5.

Nobilium anglicorum (genus monetae). Vit. Lidw. p. 1. c. 5. n. 1. nominabilis. Solil. c. 17. n. 2. mumerositas. Ibid. c. 25. n. 6.

Obedientiariis. Chron. c. 23. oblucutum (sensu passivo). Medit. 22. n. 10. obtusitas. Vit. Ludb. Bern. n. 12. odoravi pro odoratus sum. Solil. c. 10. n. 5. opprobriosa verba. Vit. Lidw. p. 2. c. 8. n. 7. opprobriose increpare. Vit. Ludb. Bern. n. 37. orarium i. e. rosarium. Vit. Lidw. p. 2. c. 30. n. 2. originata i. e. ducens originem. Serm. 6. ad nov. p. 3. n. 3. ortus, ortulanus, pro hortus etc. Vall. lil. c. 18. n. 1. et c. 28. n. 2. (Sommalius ubique »h« praeposuit.) osculatus a Iuda. Medit. 27. n. 10.

Paenitudinis. Vit. Lidw. p. 2. c. 8. n. 6. partialitates. Serm. 10. ad nov. p. 2. n. 6. parvissima. Vit. Ger. m. c. 18. n. 16. pascuae nostrae. Chron. c. 26. pascualia. Ibid. passionatus. Vit. Ger. m. c. 18. n. 5. paternitas. Chron. c. 1. patriotis. Serm. 2. ad nov. p. 1. n. 6. pausatio. Solil. c. 15. n. 3. peccatricis. Ibid. c. 9. n. 3. pecuales. Medit. 22. n. 12. pedicae maioris in dextero pede i. e. pollicis. V. Lidw. p. 1. c. 11. n. 1. percharissime. Med. 22. n. 12. percogitatus. Serm. 8. ad nov. p. 3. n. 5. percogitetis. Serm. 2. ad nov. p. 2. n. 1. peremtrix. Solil. c. 20. n. 4. permissive. Vit. Lidw. p. 1.

c. 18. n. 2. personaliter. Vit. Ger. m. c. 15. n. 3. persulcare. Vit. Lidw. p. 2. c. 14. n. 2. perventio. De humilit. n. 1. pestilentiali tempore. Vit. Amilii Bur. n. 4. pestilentiosis. Chron. c. 24. 27. petrinis tegulis (petrinis lapidibus). Serm. 11. ad nov. p. 3. n. 8. phantasiando. Serm. 6. ad nov. p. 1. n. 1. phantasticari. Dial. nov. c. 4. n. 5. pigritatio. Manual. parv. c. 11. ex placentia audiendi. Medit. 22. n. 14.; c. 2. de silent. n. 24. pleniter. Chron. c. 7. plorationis. Ibid. c. 1.; Vit. Lidw. p. 2. c. 31. n. 1. pomellis. Serm. 8. ad nov. p. 3. n. 9. pomposis. Vall. lilior. c. 21. n. 2. ponderositatis. Vit. Lidw. p. 1. c. 2. n. 1. et p. 2. c. 17. n. 1. portarius. Chron. c. 29. postergasti i. e. post tergum dimisisti. Dial. nov. c. 5. n. 2. postillae. Vit. Ger. m. c. 18. n. 11. practicavit. Vit. Joan. Cacabi n. 5. praebendatus. Vit. Flor. c. 6. n. 2. praecariorem. De mort. sui ips. n. 7. praeconizata. Serm. 6. ad nov. p. 3. n. 2. praeconizavit. Vit. Lidw. p. 2. c. 12. n. 4. praedilectus. Chron. c. 15. praeostendo. Ench. monach. c. 1. n. 1. praesentialiter. Dial. nov. c. 1. n. 2. praevaticinatis. Vit. Lidw. p. 2. c. 12. n. 2. praevisus in rebus suis i. e. providus. Epist. 2. in princip. pravicordes. Medit. 27. n. 5. pretiositatem. Solil. c. 25. n. 13. primitialis fervor. i. e. primitivus. Epist. 1. post init. primordiali. Chron. c. 2. privamine. Vit. Lidw. p. 2. c. 22. n. 4. private i. e. privatim. Vit. Ger. m. c. 18. n. 7. probamentum. Solil. c. 16. n. 9. profluvius. Solil. c. 20. n. 4. profunditas. Ibid. c. 1. n. 3. propalavit. Vit. Lidw. p. 2. c. 5. n. 3. proportionabilem. Vit. Ger. m. c. 18. n. 14. protensio. Vit. Lidw. p. 2. c. 2. n. 2. pulchriter. Vall. lilior. c. 27. n. 2. pumicando. Vit. Flor. c. 14. n. 1. punxerunt. Vall. lilior. c. 12. n. 2. putrefactione. Vit. Lidw. p. 1. c. 7. n. 1.

Quassatio. Solil. c. 11. n. 5. quidditatem. Vit. Lidw. c. 5. p. 2. n. 2.

Reaccendere. Sol. c. 25. n. 11. recidivandi. Vit. Ger. m. c. 15. n. 2. recidivantes. Ibid. c. 14. n. 1. recidivationibus. Ibid. c. 18. n. 4. redaccensus. Dial. nov. c. 5. n. 2. (Sommalius posuit «reaccensus».) reddituario. Med. 27. n. 24. reddituati. Chron. c. 5. redinuentus. Solil. c. 17. n. 9. reexspecta. Ibid. c. 1. n. 12. refectorarius. Chron. c. 10. et 27. refectoriolum. Vit. Ger. m. c. 11. n. 2. refocillatrix. Vit. Lidw. p. 1. c. 16. n. 2. reilluminavit. Vit. Ludb. Bern. n. 26. reinventus. Med. 11. n. 4. religiositate. Dial. nov. c. 4. n. 7. repatriare. Vit. Flor. c. 26. n. 2. repeciare vestes i. e. resarcire. Vit. Ger. m. c. 11. n. 5. repeciatam tunicam. Vit. Flor. c. 12. n. 2. reperibilis. Solil. c. 25. n. 5. reportationem. Vit. Lidw. p. 2. c. 5. n. 1. repropitiare. De vera comp. n. 6. requietionis. Med. 22. n. 16. resplendentia. Vit. Lidw. p. 1. c. 7. n. 6. revelator. Solil. c. 17. n. 2. revestiri. Vit. Lidw. p. 2. c. 27. n. 1. ridiculosum. Ibid. c. 18. n. 2. riga i. e. linea.

Vit. Ludb. Bern. n. 6. et 35. rigorose. Vit. Lidw. p. 2. c. 12. n. 2. ruitur. De humil. n. 2. rusticalis. Chron. n. 7.

Sacristia i. e. sacrarium. Hosp. paup. c. 19. n. 2. sagittator. Doctr. iuv. c. 7. n. 2. saporescit. Solil. c. 15. n. 6. saporose. Vit. Lidw. p. 2. c. 23. n. 2. saporosius. Medit. 22. n. 6. scabellulo. Vit. Lidw. p. 1. c. 4. n. 3. scholaris (substantive). Chron. c. 8. et 18. scholasticalia. Vit. Arnold. Schonh. n. 6. serenatio. Exerc. spir. c. 9. n. 2. seriatim. Vit. Lidw. p. 2. c. 11. n. 1. seriosam. Vall. lil. c. 12. n. 2. seriose i. e. serio. Solil. c. 10. n. 6; c. 17. n. 9. et alibi saepe. seriosum. Flor. Vit. c. 25. n. 3. silenter. Solil. c. 16. n. 7. simplicianos. Chron. c. 3. situatum. Ibid. c. 26. solatiari. Serm. 1. ad fratr. n. 2. solatiosum verbum. Serm. 1. ad nov. p. 3. n. 10. solatiosus. Chron. c. 19. et passim alibi. sollicitari i. e. sollicitum esse. De pacif. vita n. 1. sonorosa verba. Vit. Joan. Cac. n. 19. sorbellum. Vit. Lidw. p. 1. c. 6. n. 1. spatiamentum. Vit. Ger. Sutph. n. 3. spiringes, Spürling (genus piscium). Chron. c. 26. stallo i. e. sedili in choro. Vit. Flor. c. 11. studentes (substantive). Chron. c. 18. sublector. Ibid. c. 7. subventione. Ibid. c. 5. subventor. Vall. lil. c. 29. n. 2. subunculatum pellicium. Vit. Ger. m. c. 11. n. 6. sufficientiam. Chron. c. 27. supercoelesti. Vit. Lidw. p. 2. c. 22. n. 4. superexaltatus. Solil. c. 1. n. 10. superhumano. Vit. Lidw. p. 2. c. 22. n. 1. supermanserat. Ibid. p. 1. c. 22. n. 1. supermirabilem. Medit. 10. n. 5. supersumere. Vit. Ger. m. c. 18. n. 16. supersumptus potus. Ibidem. surdescunt. Solil. c. 2. n. 2. suspense. Ibid. c. 20. n. 6. sustentionis. Medit. 18. n. 1. sussuria. Exerc. spir. c. 6. n. 2.

Taediosa. Soliloqu. c. 5. n. 3. tardatione. Vit. Lidw. p. 1. c. 21. n. 1. taxa pecuniae. Serm. 2. ad nov. p. 1. n. 6. tectura i. e. tectum. Chron. c. 24. theologalis speculatio. Serm. 6. ad nov. p. 3. n. 2. theologizant. Med. 34. n. 1. timoriatus. Chron. c. 18. tonsuratus. Medit. c. 28. n. 5. tortionis i. e. torturae. Vit. Lidw. p. 1. c. 7. n. 6. transvectare. Chron. c. 27. triste (adverbialiter). Medit. 29. n. 5. tubalem vocem. Vit. Ludb. Bern. n. 13. tutavit. Chron. c. 18.

Vanigloriosum verbum. De silent. c. 2. n. 19. venerare (in Infinitivo). Serm. 3. ad nov. p. 3. n. 2. versaris pro versas. De rocogn. propr. fragil. c. 1. n. 2. vigilatio. Vall. lilior. c. 10. in tit. viliter. Dial. nov. c. 2. n. 3. vitrinas i. e. fenestras. Vit. Ger. m. c. 12. n. 2.

Ultime. Vit. Lidw. p. 2. c. 26. n. 4. unicordes i. e. concordes. Soliloqu. c. 15. n. 2.

2. Habes, amice lector, quadringentas et amplius papulas seu lineamenta minora in facie styli Kempensis animadversa, quae vultum eius et ingenium a stylo seu facie libelli de imit. Chr. nimium quantum discriminant. Haec, licet quaedam ex eis non adeo barbara sunt, quin locum in sacris literis

aliisque libris spiritualibus invenerint, quia tamen linguae latinae conformia non sunt nec usurpata ab auctore libelli de im. Chr., omnia simul hic ponenda censuimus, ut palam constaret, quam parum humanioribus ne dicam philosophicis aut altioribus disciplinis Thomas de Kempis fuerit imbutus. Ceterum nemo cogitet, verba in hoc catalogo descripta locis solummodo citatis apud Thomam inveniri, qui saepius plerisque usus est. Nos aliqua saltem citavimus, ne, si nulla citaremus, imposuisse videremur. Et quales amabo sunt verrucae illae: Burdosa loqui nullo modo licet. Vit. Bern. Ludb. n. 38; item: Trufatoribus recusat reddere trufam; et mox: Trufator redde, quod debes. Serm. 2. ad nov. p. 1. n. 6: Trufator i. e. homo levis et discolus. Rursum: Studere propter scire et propter docere alios non nutrit animam. Vit. Ludb. Bern. n. 40. Volo cogitare meum propter quid. Vit. Joan. Cacabi n. 18. Sine iudicando et perscrutando. Ibid. Qualis denique et quam foeda cicatrix illa: Anima fidelis omnia possidet in Christo pro nobis pauper et dolens facto. Vall. lil. c. 19. n. 1. Et illa altera in vit. Gerardi magni c. 13. n. 1: Sed nec puduit eum (Florentium) a minoribus aliquid discere vel quaerere, s c i e n s scriptum etc., quas nec Sommalius obducere vel personare sat egit? Ob reverentiam vero tanti viri nolim singulos soloecismos ex ipsius opusculis in medium proferre, quorum integram struem congeri posse dubium non est.

3. Habet vicissim auctor libelli de im. Chr. sua signa et lineamenta minora a Kempensibus differentia, quibus internoscatur. Primo usurpat verbum «pati» cum accusativo personae, ut: Disce te nunc in modico pati. I. 24. n. 6.; non est remedium evadendi, quam ut te patiaris. II. 12. n. 10., quam loquendi formulam apud Thomam de Kempis in universis suis operibus nullibi legere me memini. Secundo utitur adverbio «mane» pro «mature». Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam mane? I. 22. n. 7. Tertio verbum, «reverberat» usurpat pro «retundit, percellit, confundit.» Hoc est, quod me frequenter reverberat. III. 20. n. 2.; me reverberat impura conscientia. IV. 1. n. 1. Quarto verbum «importat» apud ipsum significat «prodest, adfert emolumentum, parit utilitatem». Scientia sine timore Dei quid importat? I. 2. n. 1. Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus? III. 30. n. 2. Nihil importat diu anxiari. IV. 10. n. 4. Quinto adverbium «bene» familiarissimum habuit, ut credam, sensu tam simplici et germano saepius illo usum quam Thomam a Kempis in suis operibus omnibus. Demus exempla: Deus scit bene mala in bonum convertere. I. 16. n. 2. Ipsi bene te dimittent, facta tua facere. I. 21. n. 2. Quia non habes te satis bene. Ibid. Bene opus esset, quod adhuc iterum institueremur. Ibid. c. 22. n. 7. Bene securus

eris. Ibid. c. 25. n. 2. Bene verecundari potes. Ibid. n. 6. Religiosus fervidus omnia bene portat, quae illi iubentur. Ibid. n. 7. Et faciet bene, sicut melius fuerit. II. 1. n. 3. Qui bene in pace est, de nullo suspicatur. Ibid. c. 3. n. 1. Tu bene scis facta tua excusare. Ibid. n. 2. Si scires te bene ab omni creatura evacuare. Ibid. c. 7. n. 2. Sine amico non potes bene vivere. Ibid. c. 8. n. 3. Non est cordi meo bene. III. 29. n. 1. Ego bene merui tribulari. Ibid. n. 2. Venias ad me, cum tibi non fuerit bene. Ibid. c. 30. n. 1. Bene adhuc indigeo maiori gratia. Ibid. c. 31. n. 1. Ego bene disponam in tempore suo. Ibid. c. 39. n. 1. Si bene steteris cum Deo. Ibid. c. 44. n. 1. Si bene scirem omnem humanam consolationem abicere. Ibid. c. 40. n. 3. Sine his duobus bene vivere non possum. IV. 11. n. 4. Non esset infirmo homini bene portabile. Ibid. c. 15. n. 2. Sexto habet et alias formulas loquendi Thomae Kempensi non usitatas ut: Nescis, quid tibi post mortem sequetur. I. 23. n. 8. In moriendo totum iacet. II. 12. n. 3. Pati ergo tibi remanet. Ibid. n. 12. Nec vacuas gere sollicitudines. III. 24. n. 1. Tu non indiges respondere pro aliis. Ibid. Diu parvus erit et infra iacebit. Ibid. c. 31. n. 2. Ubi iacent affectus nostri, non attendimus. Ibid. n. 4. et similia.

4. Quae omnia benevolo lectori ante oculos statuere volui, ut sincerius iudicium de utriusque styli diversitate ferret. Quod si vero isthaec lineamenta describendo vel alias in uno alterove verbo adnotando vel citando praeter intentionem errassem (nihil enim humanum a me alienum esse existimo), nolim id fraudi vel dolo imputari. Una hirundo non faciet ver, nec utile per inutile vitiabitur; veritatem inquirere desidero, quam quiscumque melius docuerit, me sectatorem habebit. Et sic concludimus motivum primum.

Motivum secundum.

Auctor libelli de imitatione Christi totus teutonizat; secus Thomas de Kempis.

1. Nominatim hoc loco motivum istud tractare voluimus, quamquam et illud in stylo includi non ignoremus. Stylus enim est, qui teutonizat et germanicum sapit idioma; quia tamen ceteri quoque scriptores peculiarem huic locum concedunt, seorsim etiam in gratiam Germanorum exponendum hic accepimus. Neque hinc Italorum ipsisque faventium metuimus offensam, quorum candori tantum tribuimus, ut firmiter speremus, eos perlectis omnibus in nostram sententiam ultro concessuros. Dicimus ergo tot et tales teutonismos in hoc unico libello contineri, quot et quales in operibus Thomae de

Kempis, etiam simul sumptis, non reperiuntur; indeque diversum scriptorem merito arguimus, quem et loquela sua manifestum facit. Agnovit dudum Gallia et Germania, non nisi Teutonis alicuius faciem ex hoc libello ceu speculo resplendere, quando in editione Norimbergensi anno 1494. et duabus Parisiensibus anno 1520. et 1521. (testibus Werlino fol. 22. et 105. vind. vind. et Hesero, Dioptr. fol. 199.) contestatae sunt, quod eius stylus totus teutonicam redoleat phrasim. De libris Thomae de Kempis nemo dixit hactenus, quod toti teutonicam redoleant phrasin, cum id nec verum sit. Licet enim et ipse nonnullos germanismos suis lucubrationibus insperserit, adeo tamen pauci ac rari sunt, ut Teutonem quidem fuisse doceant, teutonizasse vero scribendo minime demonstrent; non enim omnes thyrsigeri Bacchi.

2. Videndum vero primitus, quid nomine Teutonismi intelligatur. Phrasis teutonica, inquit Rosweydus Vind. Kemp. cap. 8, seu flandrica Flandrum auctorem loquitur. Et paulo post: Ecce manipulos aliquos teutonicae seu flandricae phrasis. Et infra: Si scires totam bibliam exterius, haec phrasis, inquit, solis Flandris vulgo usitata est. Et in fine: Illud certe mihi affirmare posse videor, nulla omnino lingua omnes supradictos idiotismos et loquendi formulas reperiri vel ab auctoribus latinis praeterquam apud Flandros usitatos esse. Rosweydus igitur, et ipse Belga, per Teutonismos hoc loco nonnisi Flandrismos intelligit, applaudente sibi Ioanne Kinckio, typographo Colonensi, hunc libellum suis formis anno 1617. publicante in epistola nuncupatoria ad Albertum Luykenium his verbis: Rosweydus e soc. Jesu solidissimis vindiciis exulem Thomam Belgio restituit adeoque asseruit, ut brutus sit, quisquis exterorum alienae a Belgio provinciae illum inserere machinetur.

3. Verum nimis coarctant hi terminos loquendi, si Germanos sive Teutones soli Flandriae et phrasin teutonicam uni flandricae includere velint. Amplior terra est, etiam nobis abavus Teuto seu Tuiscus fuit. Et Germania quidem superior multis partibus maior est inferiore adeoque si auctorem nostri aurei libelli teutonizantem inquirimus, tota Germania aperienda est, perlustrandae omnes provinciae, ubicumque praefatis idiotismis locus esse potest. Lingua namque flandro-belgica teste Werlino fol. 14. v. v. solummodo dialectus est linguae Germanicae, ramus est, non stirps arboris. Rosweydus, ubi supra, nonnisi viginti novem phrases flandricas universim ex hoc libello extraxit; vicissim Heserus eiusdem societ. in suo lexico germanico-Thomaeo, edito Ingolstadii 1651., centum viginti Teutonismos in Germania superiori usitatos ex eodem collegit, asserens dicentem audivisse se etiam altero plures reperturum, ita ut, si utrimque aequa lancea respondetur, auctorem libri procul dubio sibi inclinatum non Flandria, sed

Germania superior habitura sit. Unde idem Heserus, scriptor Germanus, non Belga in praefatione Dioptrae recte ait: Qui linguam nostram exteri callent, non possunt auctorem a nostra abiungere natione. Sane, si, ut vult Rosweydus, istius libelli idiotismi nulla omnino lingua praeterquam apud Flandros usitati sunt, cur in editione Aegidii Steelsii, Antverpiae in Flandria, anno 1575., in illa sententia: «si scires totam bibliam exterius» etc., cur, inquam, typographus loco «exterius» substituit «memoriter»? An Flandris obscurus fuit Flandrismus, ut non satis intellexerint, quid esset exterius? Porro nos potiores diligentes Germanismos solum docebimus, teutonicam, quam libellus redolet, phrasim aeque, si non magis, in Germania nostra superiore, quam in Flandria usitatam esse. Ut vero una fidelia duos parietes dealbemus, subinde ex interpretatione italica anonymi interpretis, edita Venetiis anno 1556. formis Petri Boselli, docebimus eiusmodi idiotismos linguae italicae minime convenire, quin imo ipsos Italos in impressione latina Romae anno 1644. terminos quosdam latinos, quos minus intellexerunt, studio omisisse vel in alios sibi clariores visos commutasse; tantum abest, ut Italus totum libellum teutonizantem composuerit.

4. Germanismi ex libr. I. de im. Chr.

Cap. 1. n. 3. Si scires totam bibliam exterius, i. e. memoriter. Purissimus hic est Germanismus («auswendig können, auswendig lernen»), quem omnes pueri nostrates grammaticae limina vel procul salutantes optime noverunt. Si quid enim ex libro memoriae mandaverint, exterius se discere vel exterius se scire dicunt, i. e. extra librum, non inspiciendo librum. Unde liquet errasse Rosweydum, dum cit. cap. 8. ait: Haec phrasis solis Flandris vulgo usitata est. Immo ante editionem Steelsii Flandrii, ut diximus, hunc terminum non satis assecuti videntur. Italus vertit: Se tu sapessi tuta la bibia, nesciens quid significaret τὸ exterius. Alius alia editione Veneta ann. 1637. verterat: «Se tu sapessi tuta la bibia superficialmento», sed impertinenter et contra sensum auctoris. Nempe non intelligunt isti vim teutonismi, hinc illum vel ex libello subducunt, vel irrepsisse volunt, cum tamen in sexcentis m. s. codicibus ipsoque Mantuano et Leo-Allatiano (teste Caietano) legatur. Mihi sane vel unicus hic idiotismus tanti videtur esse ponderis, ut vel solus ad probandam patriam auctoris sufficiat. Si enim ex ungue leonem evidenter cognoscimus et ex uno vestigio leporis non cervum, sed leporem hac transisse certo iudicamus, quis cum ratione credat, Italum scriptorem tam manifestum vestigium germanicum hoc loco post se relinquere voluisse?

Cap. 2. n. 1. Scientia sine timore Dei quid importat? Was nützt es, was bringt es ein? Quid prodest? quid adfert

emolumentum? Was hilft Kunst ohne die Furcht Gottes? Italicum importare non hoc est, sed esse magni momenti in utramque partem, unde Porchacchius illud hoc loco omittens vertit: « Scienza senza timor di dio che vale? »

Cap. 2. n. 4. De se ipso nihil tenere; nichts von sich selbst halten. Italica versio Venetiis ann. 1569. auctore Thoma Porchacchio de Castiliono Aretino vertit: « Non stimare alcuna cosa e stesso ».

Cap. 4. n. 2. Non pertinaciter in propriis stare sensibus; auf seinem Sinn nicht hartnäckig bestehen.

Ibid. Cum sapiente et conscientioso viro consilium habe; mit einem weisen und gewissenhaften Mann. Canonicus regularis ad S. Martin. Lovanii libello edito rursum Lovanii typis Joannis Maes. 1601.

Cap. 6. n. 1. Leviter etiam indignatur, i. e. facile, gar leichtlich. Ex hoc unico Teutonismo Joan. Fronto p. 3. § 2. contra Italos asserit manifestum fieri, teutonicum hunc libellum fecisse. Exteri perperam descripserunt: Leviter etiam dedignatur.

Cap. 7. n. 1. Non stes super te ipsum; steh' nicht auf dir selber; non ti confidare dite modesimo.

Cap. 11. n. 5. Cuncta possemus facere cum levitate et gaudio; gar leichtlich und mit Freuden. Italus vertit: con facilità et allegrezza.

Cap. 12. n. 1. Bonum nobis est, quod aliquando habemus aliquas gravitates et contrarietates; Beschwernisse, seu gravamina; Italus omittens τὸ gravitates solummodo vertit: bona cosa è a noi, che alcuna volta habbiamo delle adversita.

C. 13. n. 3. Semper aliquid ad patiendum habebimus; etwas zu leiden.

Cap. 13. n. 8. Cum gravitatem non sentit; wann er keine Beschwerde empfindet; quando non è tentato.

Cap. 14. n. 1. In iudicando alios homo saepius errat et leviter peccat, i. e. facile, gar leichtlich; pecca facilmente. Utitur hoc adverbio «leviter» etiam Joannes Buschius in epilog. libri I. Chronici Windesheim. In eodem sensu pro facile etiam usurpant Florentius presbyter Daventriensis in epistola ad Henric. Balneren, vestiarium in Windesem apud eundem lib. II. Chronici Windesh. c. 39. et ipse Thomas a Kempis in suis opusculis.

Cap. 16. n. 2. Qui bene scit mala in bonum convertere; er weiss schon (oder wohl) das Böse in Gutes zu verkehren.

Cap. 17. n. 1. Oportet, quod discas te ipsum in multis frangere. Sic dicimus: den Kopf brechen, den Eigenwillen brechen. Cisogna che tu impari à lasciare et mortifficare la tu propria volontà.

Cap. 19. n. 2. Levis omissio exercitiorum, i. e. facilis, eine leichte oder geringe Versäumnis; uno piccolo rilassamento de nostri essercitii spirituali; flandrice «lichtelike».

Cap. 21. n. 1. Da te ad cordis contritionem; gib dich auf Treu und Leid; sic dicimus: gib dich zu Ruhe, gib dich darein.

Cap. 21. n. 2. Si tu scis homines dimittere, ipsi bene te dimittent tua facta facere. Quam simplex et germanus loquendi modus, quem sic vertit codex Zwifaltensis, scriptus 1448: Dich lassen wohl die Menschen, dass du schaffest, ist es, dass du die Leit khanst lassen. Se tu la saprai fuggire, gli huomini non faramo impedimento alla tua compunctione all tuo bene operare. Porcacchius vertit: te lasciaramo far i fatti tuoi.

Cap. 21. n. 5. Sed quia ad cor ista non transeunt; zu Herzen gehen. Porcacchius: questi pensieri ci entranuo nel cuore.

Cap. 21. n. 6. Leviter conqueritur miserum corpus; so leichtlich klagt der arme Leib; il corpo d'ogni piccola cosa silamenta.

Cap. 22. n. 5. Oportet nos tenere patientiam; flandr. vertit manere pro tenere; melius Germanus: es ist von Nöten, dass wir Geduld halten; dicimus enim: halte Geduld, halte Ruhe.

Cap. 22. n. 7. Qui tepescimus tam mane, i. e. tam mature, so frühe; quando cosi presto diventiamo tepidi nel principio. Etiam Porcacchius vertit «nel principio».

Ibid. Bene opus esset, quod adhuc iterum institueremur; es wäre wol von Nöten; perperam scripsit Mantuanus: bonum opus esset.

Cap. 23. n. 1. Valde cito erit tecum hic factum; longe melius et succinctius exprimit hoc Germanus: gar bald wird es mit dir hier geschehen sein; molto praesto sara appresso dite la morte. Errarunt nec Germanismum assecuti sunt, qui mendose scripserunt «hoc factum» vel «tibi hoc factum».

Ibid. Si te in omni facto et cogitatu deberes tenere; dich also verhalten.

Cap. 23. n. 8. Nescis quid tibi post mortem; wat v na volgen sal; germanice melius: was dir nach dem Tod erfolgen wird. Hunc Germanismum Itali non assequuntur, qui pro «tibi» substituunt «te», putantes auctorem debuisse latinius loqui, qui latinis verbis loquitur germanice.

Cap. 24. n. 6. Disce te nunc in modico pati; lerne dich leiden. Purus est germanismus.

Cap. 25. n. 2. Bene securus eris; waerden hier of versekhert. Expressius germanice: Du wirst wol sicher sein.

N. 4. Non omnes habent aeque multum ad vincendum; zu überwinden.

N. 6. Bene verecundari potes inspecta vita Christi; du magst dich wol schämen.

N. 7. Religiosus fervidus omnia bene portat et capit, quae illi iubentur; religiosus negligens habet tribulationem super tribulationem. Omnia germana.

N. 8. Et ideo turpe esset, ut tu deberes in tam sancto opere pigritare; es wäre schändlich, dass du in einem so heiligen Werke solltest faullenzen.

5. Ex libro secundo.

Cap. 1. n. 1. Disce te ad interiora dare; lerne dich auf die innerlichen Dinge zu begeben. Hunc Germanismum subterfugit Italus interpres: imparo a disprezzare le cose del mondo et amare, quell e dell' animo.

N. 3. Ipse pro te respondebit et faciet bene, sicut melius fuerit; er wird dich verantworten und die Sache wol machen nach dem Besten; e lui risponderà moglio per te et fara moglio per te che fusse giamai fatto da persona.

Cap. 1. n. 8. Si recte tibi esset. Est purus Germanismus: wenn dir recht wäre, quem nec Italus metaphrastes expressit: si tu fussi per buona cosa.

Cap. 2. n. 2. Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc faciliter alios placat et leviter satisfacit sibi irascentibus; gar leichtlich, gar bald.

Cap. 3. n. 2. Tu bene scis facta tua excusare et colorare; du kannst deine Sachen gar wohl entschuldigen und verblümen.

Cap. 5. n. 1. Non possumus nobis nimis credere, wir können oder sollen uns nicht zu viel trauen. Hunc germanismum iterum ignorant Itali, qui pro possumus substituunt debemus. Sensum exprimunt, sed auctoris idiotismum e medio tollunt.

N. 2. Si debes habere pacem, oportet, quod totum adhuc postponas et te solum prae oculis habeas; wann du sollst, hoc est, wann du willst Frieden haben. Si dicimus: Wann du sollst (i. e. wenn du willst) diesen Dienst versehen, so musst du alles andere fahren lassen. Sic Thomas de Kempis dicebat: Si laus debet esse Deo grata et accepta, hort. ros. XVIII. 1. Italus denuo auctorem germanum non intelligens hanc sententiam sic edidit Romae 1644.: si velles, ut debes, habere pacem et unionem etc., non attento, quod codices Aronensis, Cavensis et Mantuanus expresse habent: si debes habere pacem.

Cap. 6. n. 3. Semper bene agere et modicum de se tenere humilis animae est iudicium; wenig von sich selbst halten; fare sempre bene et reputar si da niente, è segno d'animo humile. Nescivit Caietanus, quid esset «modicum de se tenere», ideo supposuit «sentire», cum tamen expressum «tenere» legerit in codicibus Cavens., Leo-Allat. et Mantuano.

Cap. 7. n. 2. Teneas te apud Jesum vivens et moriens; halte dich bei Jesus lebendig und tod; expero ferma ti appresso à Giesu, mentre che tu vivi.

Ibid. Si scires te bene ab omni creatura evacuare, Jesus deberet tecum libenter habitare; Jesus sollte wol gern bei dir wohnen, kannst du dich von allen Kreaturen scheiden. Vide denuo Italum non capientem, quid significet τὸ deberet; subrogat enim eius loco «vellet». Tamen auctorem Italum fuisse evincere conatur. Codices Aronens., Cavens. ac Mantuan. recte scripserunt «deberet».

Cap. 8. n. 3. Sine amico non potes bene vivere, i. e. difficulter, ohne einen guten Freund kannst du schwerlich oder nicht wol leben.

Cap. 9. n. 3. Quando homo stat super seipsum, facile labitur; wenn der Mensch auf sich selber stehet; quando chuomo si consida sopra se modesimo.

Ibid. Verus amator Christi non cadit super consolationes; fällt nicht, begibt sich nicht auf Ergötzlichkeiten; il vero amatore di Christo non cerca ac costar si alle consolationi.

Cap. 10. n. 5. Quidquid nobis advenire permittit; was er uns zukommen lasst.

Cap. 11. n. 1. Nemo illo ditior, qui scit se ad infimum ponere; der sich zum niedersten kann setzen oder schätzen.

Cap. 12. n. 3. Ecce in cruce totum constat et in moriendo totum jacet; siehe, es stehet alles am Kreuz und liegt alles am Sterben. Sic dicimus: es stehet alles an dem, dass du dich wol haltest etc. Porcacchius: ecco dunque che tutta nostra salute è nello croce. Sic et Thomas de Kempis teutonizabat vall. lilior. c. 28. n. 2. «Biblia mea, inquiens, in qua tota sacra scriptura iacet». Et in Doctr. iuv. c. 7. n. 1: In hoc stat totum.

N. 4: Non potes effugere, ubicumque cucurreris, quia ubicumque veneris, te ipsum tecum portas. Ubicumque pro quocumque, quia utriusque significationem Germani eodem verbo exprimunt: wohin du läufst, wohin du kommst. Caietanus imprimi curavit: quocumque cucurreris, germanismum non assecutus, quantumvis in codicibus Aron., Cav. et Mant. scriptum viderit: ubicumque cucurreris.

Ibid. Necesse est te ubique tenere patientiam; Geduld halten. Thomas a Kemp. de discipl. claustr. c. 7. n. 2.: Sic se homo deberet tenere, quasi quotidie iturus ad sepulchrum.

N. 8. Sed tamen; aber doch. Eodem utitur Thomas de Kemp. Lib. I. de solitud. c. 13. et lib. 2. de silent. c. 21.

N. 10. Non est remedium evadendi a tribulatione malorum et dolore, quam ut te patiaris; als dass du dich geduldest. Textum non expressit Italus, nescius Teutonismi, omittendo in edit. romana «te» et solum ponendo «ut patiaris».

N. 12. Fiet cito melius; es wird bald besser werden.

Ibid. Etiamsi raptus fueris usque in tertium coelum cum Paulo, non es propterea securatus; versichert. Etiam in Aronensi et Leo-allatiano codicibus legitur «securatus», nihilominus, qui typum s. congregationis de propaganda fide Rom. 1644. curavit, loco «securatus» supposuit «securus» auferendo quod germanius est, ut italum auctorem substitueret.

N. 14. Meritum nostrum et profectus status nostri stat in magnis gravitatibus et tribulationibus perferendis; steht oder besteht in grossen Beschwernissen.

6. Ex libro tertio.

Cap. 1. n. 2. Serva te apud me; halte dich bei mir; sta appresso di me.

Cap. 11. n. 2. Non omnis affectio, quae videtur bona, statim est sequenda, sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda; gleich anfangs.

Cap. 12. n. 3. Juste illis fit; merissimus Germanismus: es geschieht ihnen recht, i. e. merito haec patiuntur.

Cap. 15. n. 1. Difficile est pro vera (fürwahr, i. e. profecto, revera) iudicare, utrum spiritus bonus an malus te impellat ad desiderandum hoc vel illud.

N. 3. Da mihi hoc semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est et charius placet; was dir lieber gefällt.

Cap. 18. n. 2. Dignum est, ut ego misellus peccator patienter me sustineam; dass ich mich geduldig leide; degna cosa è che io misero peccatore porti patiente mente le adversita.

N. 3. Heu quanti longe retroque manerent, nisi tua praeclara exempla inspicerent; wie viele würden weit zurückbleiben.

Cap. 20. n. 2. Hoc est, quod me frequenter reverberat; macht mich oft verschlagen und kleinmütig; questo e quello che spesso mi percuose.

Cap. 24. n. 2. Nec vacuas gere sollicitudines. Phrasis est germanissima: leere Sorge tragen, adeoque magis germanizat quam flandrizet hic libellus; hi enim vertunt: «ydel sorchuoldicheit» ponentes vanas pro vacuas. Italus minus capiens Germanismum supposuit: nec vagas geras sollicitudines; vagas pro vacuas.

Ibid. Tu non indiges respondere pro aliis; du darfst nicht antworten für andere. Sensum rite expressit Italus interpres: Tu non hai bisogno di parlare per altri.

Cap. 25. n. 2. Si nullam senseris gravitatem; so du keine Beschwerde empfindest.

C. 27. n. 1. Mirum, quod non ex toto fundo cordis te ipsum mihi committas; aus ganzem Grunde deines Herzens.

Idiotismus est germanissimus, quem non expressit Italus metaphrastes: con tutto il cuore.

Cap. 29. n. 1. Non est cordi meo bene; es ist nicht wol meinem Herzen.

N. 2. Ego bene (i. e. iuste) merui tribulari et gravari; ich habe es wol verdient, redlich verschuldet.

Ibid. Donec melius fiat; bis es besser wird. Sic dicimus: es wird schon besser werden.

Cap. 30. n. 2. Quid importat (i. e. prodest) sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam semper tristitiam habeas? Was bringt dir oder was nützt dich die Sorgfältigkeit von künftigen Dingen anders als trauern über trauern. Etiam Apostolus, non Germanus, Philipp. 2. v. 27. habet tristitiam super tristit.

N. 5. Si tibi admisero gravitatem; so ich dir werde eine Beschwerde zusenden; se ti mando ò alcuno gravezza, ò contrarietà etc. Se io te daro etc. Italus libelli latini editor pro «admisero» (quod nimium ipsi teutonizabat) italizantem substituit vocem «mandavero», tametsi codex Leo-allat. expresse ipsi obtulerit *τὸ* admisero.

Cap. 31. n. 1. Domine bene indigeo adhuc maiori gratia; ich bedarf wol grösserer Gnade; io ho anchora dibisogno di maggior gratia.

Ibid. Oportet igitur omnem supertransire creaturam; darum muss ein Mensch alle Creaturen übergehen, i. e. negligere, praeterire. Pulchre vertit hanc sententiam Flander: Dear om is noet, datmen bouen gae al creatuer.

N. 2. Diu parvus erit et infra iacebit; wird unterliegen, i. e. succumbet.

N. 4. Ubi iacent affectus nostri, non attendimus.

Cap. 32. n. 2. Domine hoc non est opus unius diei et ludus parvulorum; Herr, das ist nicht nur ein Tagewerk oder ein Kinderspiel.

Ibid. Fili, debes ad minus ad haec ex desiderio suspirare; aufs wenigste, aufs meiste.

Ibid. Adhuc multa habes ad relinquendum; du hast noch viel zum verlassen. Isthoc idiotismo etiam utitur Thomas de Kempis, natus Germanus, non Belga, lib. de mortificata vita n. 7: Plura adhuc habeo ad superandum.

Ibid. Utinam sic tecum esset; wollte Gott, dass deine Sachen also bestellt wären.

Cap. 33. n. 1. Impraetermisse; ohne Unterlass.

Cap. 35. n. 3. Sancti mei habuerunt multas gravitates, sed patienter sustinuerunt se in omnibus; viel Beschwernisse, haben sich aber in allen Dingen geduldiglich gelitten. Edit. Rom. 1644. (ut de Parisiensi an. 1616. et 1636. sileam) eliminato *τὸ* se, quod nimium germanizaret, reposuit solum «pa-

tienter sustinuerunt», cum tamen illum accusativum verbi «sustineo» etiam sacrae literae non aspernentur.

Cap. 40. n. 2. Cito melius fit, cum tibi placuerit; es wird bald besser; subito mi sento meglio.

Cap. 41. n. 1. Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honorari et elevari, te autem despici et humiliari; lass dir's nicht anziehen; noli molesto ferre. Communissima phrasis apud Germanos superiores: es hat mir sehr angezogen, i. e. permoleste tuli. Flander, ut hunc Germanismum suis exponeret, opus habuit paraphrastica interpretatione: «Soen, en wilt di niet antrecken». Dicunt «antrecken», quod nobis esset «anstrecken».

Cap. 44. n. 1. Si bene steteris cum Deo; ist es, dass du wol mit Gott einstehest.

Cap. 46. n. 1. Quare tam parva tibi ad cor transeunt? Warum gehen dir so kleine Dinge zu Herzen? Porcacchius: Perche ti passanuo il cuore picciole cose?

Cap. 47. n. 4. O si tibi haec saperent et profunde ad cor transirent! O dass dir diese Dinge tief zu Herzen giengen! O se tu gustasse queste cose; alius: o se profondamente ti penetrassero nel cuor!

Cap. 50. n. 16. Fac me pium et humilem discipulum, sicut bene facere consuevisti; wie du wol und recht zu thun pflegest; si come tu hai per consuetudine difare.

Cap. 57. n. 1. Sed nunc permitte transire; lass fahren, vorübergehen.

Ibid. Satis virilis es, quamdiu nil adversi obviat; du bist Mann genug. Porcacch.: Tu sei molto forte.

N. 2. Pone, ut melius nosti ex corde; lege es weg aus dem Herzen, so gut du kannst und weisst. Porcacch.: Considera nel cuor tuo.

N. 3. Non est totum frustratum; es ist nicht alles umsonst. Iterum plus germanizat libellus, quam flandrizet. Flander enim pro «frustratum» ponit «perditum»; Porcacch.: Non s'è in tutto senza merito, quae omnia Germanismum non attingunt.

7. Ex libro quarto.

Cap. 1. n. 1. Me reverberat impura conscientia. Codex Zwifalt. an. 1448. valde bene interpretatur: Mich widerfichtet mein unlauter gewissen. Porcacch.: mici peccati è lamia cattiua conscienza mi fanuo temere, i. e. faciunt me timere. Germanismus est: Mein unreines Gewissen macht mich kleinmüthig.

Cap. 11. n. 3. Tu scis Domine, quod me nulla creatura quietare potest; beruhigen.

Ibid. Oportet, ut me ponam ad magnam patientiam; ich muss mich in grosse Geduld setzen. Bisogna, che io habbio grande patienza.

Cap. 13. n. 2. Fidelibus tuis te tribuis ad edendum et fruendum; gibst dich zu essen und zu geniessen; tu ti dai in cibo.

Cap. 15. n. 3. Statim, ut integre te in Deo posueris, unitum te invenies et pacatum; so wirst du dich bald vereinigt und versöhnt gegen ihn befinden; all hora sentirai la vera pace et consolatione.

8. Ex his igitur idiotismis licet paucissimi speciem italismi quoque referre videantur, tamen revera teutonismi sunt, qui num a germano vel italo scriptore fuerint illati libello, ex ceteris non italizantibus, germanizantibus tamen iudicandum erit. Et hi quidem magno numero tales sunt, quales italica lingua nōn admittit, ita ut si eadem servata phrasi italice verterentur, magnam apud italos barbariem saperent. Ipsosmet Italos in testes voco. Quinam igitur Italus hunc libellum elaborasset, cum non italice, sed latine scriptus fuerit et quidem tanta cum simplicitate, ut exteris quoque testibus germanismi tam clare traluceant, quam per vitrum radii solares. Sed nec circa Vercellas, ubi fingunt esse compositum, supersint antiquitatis huius vestigia, ut merito deberent; nec tota Italia monstrare possit unum manuscriptum, quem constat germanis codicibus aetate parem esse; nec ipsi Itali libellum ante annum 1600. unquam sibi arrogaverint, quippe quem totum germanizare norant, imo saepius ob idiotismos teutonicos non intelligunt: hinc eos vel mutant vel ex libello tollunt omnimo, ut factum saepius in editione Romana 1644. Addo, licet omnes Itali nati in unum convenirent, librum tamen tantopere teutonizantem componere nequirent; nemo enim dare potest, quod non habet. Ut quid igitur de lana caprina se fatigant?

9. Denique ut ad Thomam de Kemp. revertamur, cum stylus eius a tot conglobatis germanismis plurimum abludat, quippe quorum nec decimam partem in universis opusculis assequitur adeoque phrasin teutonicam simpliciter loquendo non spiret, concludimus aliam utriusque faciem et istius a Thomae de Kempis longe diversam esse.

Motivum tertium.

Libellus de imitatione Christi contradicit annis et aetati Thomae de Kempis.

1. Ut ordine producamus hoc loco praeponenda, videtur chronotaxis annorum et aetatis piissimi et religiosissimi viri Thomae de Kempis, quem natum esse anno Christi 1379. mense decembri circa festum s. Thomae Apostoli, a quo hausit nomen, inquit Werlinus Vind. vind. f. 225, nec abnuit

Rosw. aiens natum circa annum 1380., quod est rectissimum, si finis anni illius 1379. ad initium sequentis referatur. Parentes habuit Ioannem et Gertrudem, si saeculum spectes, nullo quidem generis splendore, nulla divitiarum opulentia conspicuos, sed quibus omnis nobilitas in pietate, census in vitae probitate erat, ut scribit Rosweydus in eius vita.

2. Anno 1392., pergit Werlinus, studii causa Daventriam venit tredecenni ut vult Rosweydus non maior. Sed ipsum Thomam loquentem hac de re audiamus in vita Ioannis Gronde c. 1. n. 2.: «Cum studii causa in annis adolescentiae Daventriam venissem, quaesivi iter pergendi ad regulares in Windesheim ibique inventis fratribus canonicis regularibus cum germano meo Ioanne hortatu illius inductus sum adire summae reverentiae virum magistrum Florentium, Daventriensis ecclesiae vicarium sacerdotemque devotum. Venientem ergo ad praesentiam patris reverendi mox pietate motus aliquantisper me secum in domo tenuit et ad scholas instituit datis insuper libris, quibus me egere putavit. Demum hospitium cum quadam honesta et devota matrona gratis impetravit, quae mihi et aliis multis clericis (i. e. scholaribus, ut ex ipso Thoma de K. exponit Werlinus cit. vind. vind. f. 20) saepius benefecit». Unde constat eum non diu domino Florentio in suis aedibus cohabitasse, sed ad scholas particulares iam olim Daventriae institutas dimissum eique a Florentio, ut scribit Rosweydus, de domo, de libris, de victu prospectum fuisse. Tunc autem temporis, ait ipse Thomas in vita Amilii Burens. n. 2., Daventriae studium particulare satis viguit, i. e. grammaticale, unde hodieque similium discipuli « Partimschüler » nominantur, in quo videlicet primae grammaticae rudimenta docebantur. «Et ego tunc temporis, pergit c. 11. Vit. Florent. n. 2., cum aliis scholaribus chorum visitare consuevi, sicut iniunctum mihi fuerat a magistro Ioanne Boëme, qui scholas et chorum regebat. Quoties ergo dominum meum Florentium in choro stantem vidi, licet ipse non circumspiceret, praesentiam tamen eius ob reverentiam status eius metuens, cavebam aliquid fabulari. Et accidit aliquando, ut non longe ab eo starem in choro vertitque se ad librum nobiscum canendo, et stans post me manum suam super humerum meum posuit stetique fixus vix audens me movere, stupens ad tantae dignationis gratiam.» Et infra ibid. c. 24. n. 2.: «Magister Ioan. Boëme rector scholarium et vicarius maioris ecclesiae, sub quo diu scholas frequentavi, magnus amicus fuit domini Florentii, libenter eum audiens et faciens, quod Deo placitum fore sciebat. Cum ergo tempus solvendi pretium instaret, reddiderunt singuli, quod iure debebant. Tunc etiam ego obtuli ei pretium ad manus eius, repetens librum, quem pro pignore reliqueram. Et quia notitiam mei habuit sciens me stare sub cura domini

Florentii, ait mihi: Quis dedit tibi hanc pecuniam? Respondi: Dominus meus Florentius. Vade, inquit, reporta ipsi pecuniam suam, nolo a te recipere propter ipsum. Reportavi iterum pecuniam domino meo Florentio et dixi: Reddidit mihi magister pretium amore tui. At ille: Grates illi ago, alias iterum donis potioribus providebo».

3. Circa annum domini 1398. adolescens Thomas non solum scholis et choro constanter inservire perrexit, sed etiam artem pulchre scribendi addiscere aggressus est. Sic enim inquit ipse in Vit. Ludb. Bern. n. 21: «Rogante quodam iuvene (is erat ipse Thomas), ut exemplar ei scriberet Lubertus, benigne annuit et fecit. Et ait: Bene addisces scribere, longos enim et molles digitos habes. Et deo cooperante verum prophetavit.» Eodem tempore Daventriam venit propter doctrinae studium quidam de finibus Hollandiae bonae indolis iuvenis, Arnoldus Schonhoviensis, cuius vitam scripsit Thom. a. Kemp., ubi cum n. 13. dicat eum obiisse 1430. die 9. Maii, posteaquam annos 31 in congregatione fratrum cum domino Florentio perseverasset, prius autem fere per annum in antiqua domo Florentii una secum habitasse, consequens est eum hoc anno 1398. Daventriam venisse, de quo sic Thomas in eius vita n. 1. et 2.: «Ingressus ergo Arnoldus oppidum Daventriense magistro Joanne de arbore tunc regente praesentavit se obtutibus domini Florentii ad habendum hospitium in domibus devotorum clericorum, quorum non parva multitudo sub cura et disciplina devotissimi patris vivebat; cernens itaque dn. Florentius Arnoldum ad serviendum deo ferventer affectatum atque a seculo totaliter aversum, concessit ei mansionem in antiqua domo sua, ubi plures clerici (sive scholares) numero fere viginti in communi bursa stabant, unam communem mensam et sumptum habentes, inter quos erant tres laici, unus procurator, qui necessaria emebat, alius coquinae praefuit, tertius vestes sarciebat. Eodem tempore (hoc est eodem anno 1398., ut exponit ipse Werlinus fol. 226. v. v.) adiuvante dno. Florentio et consulente domum illam inhabitare coepi et fere per annum in congregatione illa viginti scholarium, ait Werlinus, cum Arnoldo permansi, simul una camerula unoque lecto ambo contenti. Ibi quippe didici scribere et sacram scripturam legere et quae ad mores spectant devotosque tractatus audire. Quidquid tunc scribendo lucrari potui, in sumptus communes tradidi, et quod mihi defuit, larga pietas dni. mei Florentii pro me persolvit et paterne in omnibus subvenit.» Et infra n. 6.: «Coepit autem Arnoldus instare et ferventer rogare, ut in domo dni. Florentii posset habitare cunctis diebus vitae suae, non affectans alium statum in toto mundo. Illo igitur persistente in prece distulit dn. Florentius desiderium eius exaudire, ut probaretur

melius, ita dicens ad eum: Discas bene scribere et tunc spes erit de te. Quo audito tota diligentia nitebatur scribendi artem addiscere, saepe vadens ad quendam bonum scriptorem et petens ab eo plenius informari. Et dixit mihi: O si scirem bene scribere, ut possim citius cum dn. Florentio habitare; spero, quod bene per gratiam dei vellem passiones meas vincere, si tantummodo scribere scirem. Et cum haec audivissem, miratus sum probitatem eius et favorem; et ego vice versa cogitavi mecum dicens: Bene vellem addiscere scribere, si scirem bene me emendare» Et n. 10. «Postquam ergo fere per annum affectus Arnoldi protractus esset et sufficienter probatus et tamen constans permaneret et longanimiter exspectaret, fraternitatem sibi concedi acquiescens dn. Florentius petitionibus eius assumpsit eum, dans ei locum inter fratres, quod ei erat laetissimum.» Hucusque Thomas.

4. Ex quibus colligitur 1. Iodocum Badium in vita Thomae de Kemp. c. 5. n. 2. recte scripsisse, ipsum Thomam patrocinio in domum matronae sanctae, deinde in domum pauperum clericorum seu scholarium receptum et utrobique eleemosynis educatum fuisse. Colligitur 2. Thomam non diu cum dno. Florentio in sua domo mansisse, sed mox comparato sibi hospitio apud piam matronam inde in antiqua domo Florentii cum viginti scholaribus habitasse adeoque non inter illustres illos pietate et eruditione viros, ut vult Rosweydus in cit., qui in Florentii viventes consortio religione, vitae innocentia, morum sinceritate elucebant, ubi (ut idem inquit) paucis annis eos non in studiis magis quam pietate progressus fecit, quos tot conscripta ab eo numquam satis laudata testantur volumina, inter quae praecipue quatuor libros de imit. Chr. computari desiderat Rosweydus. Verumtamen tantum abest, ut Thomas cum Florentio paucis annis versatus fuerit in consortio virorum illorum pietate illustrium, ut non nisi aliquantisper adeoque ne uno quidem anno secum commoranti mox a suo contubernio excluso utpote puero trecenni de alio hospitio apud piam matronam prospicere voluerit, in quo mansit per sexennium, ab anno nimirum 1392. usque ad 1398. Inde fere per annum in antiqua domo Florentii cum Arnoldo et viginti scholaribus pauperibus habitavit, donec Daventria ad montem s. Agnetis emigraret. Fatetur ipse in vita Flor. c. 16. n. 4. se adhuc vivente Florentio per septennium multitudinem miserationum istius rerum experientia probavisse in subministrato nimirum sibi didactro ceterisque necessariis, verum se ipsi eiusque fratribus clericis saecularibus in domo sua praeterquam aliquantisper ab initio eo habitasse nuspiam meminit, immo contrarium expresse. «Haec est domus (ait in vit. Sub. Bern. n. 4. loquens de nova domo) dni. Florentii, titulo nominis eius insignis, quae faven-

tibus civitatis scabinis pro congregatione clericorum devotorum fundata est anno 1391., in quam ex antiqua domo non se, sed Arnoldum receptum fuisse scribit.

5. Unde errasse convincitur 3. auctor ipsius vitae anonymus et paene coaevus scribens, Thomam studuisse Daventriae in domo fratrum scilicet clericorum (scholares enim illi viginti in antiqua domo non nominabantur fratres), eumque secutus Rosweydus in vita Thomae: Dum, inquiens, in collegio fratrum versatur, quidquid calligraphia lucrari potuit (nam antiquarii manu valebat), omne id manu-pretium in commune subsidium conferebat; et in notis ibid. n. 6. verb. fratrum clericorum: Horum, ait, vitae institutum descripsit ipse Thomas noster, qui inter illos vixit; in vit. Joan. Gronde c. 1.: Numquam prius tales homines tam devotos et ferventes in charitate dei et proximi me vidisse memini etc. Verum Rosweydus confundit duas congregationes clericorum in unam et duas domos, antiquam scil. et novam, in unam; nam vitae institutum, quod hoc loco describit ex Thoma. vere fuit in nova domo Florentii a s. congregatione illorum fratrum (ita nominabantur) observatum, idque Thomas aliquantisper ibi sub initium commoratus memoriae imprimens dicto c. 1. posteritati scripto reliquit. Altera congregatio fuit viginti clericorum seu pauperum scholarium in antiqua domo Florentii, ubi Thomas fere per annum morabatur et ibi (non in domo nova Florentii) didicit scribere et quidquid tunc calligraphia lucrari potuit, in sumptus communes scholarium suppeditavit.

6. Colligitur 4. Thomam a Kempis non a discipulis Florentii nec in eius contubernio, sed separatim a magistris Joanne Boëme primum, dein Joanne ab arbore pro mercede pecuniaria in studiis grammaticis (ulterius enim studuisse nec ipse dicit nec barbaries c. 6. copiose allata fidem facit) instructum fuisse, idque non sub directione Florentii, sed dominorum majoris capituli, quorum chorum una cum aliis scholaribus frequentaverat, sicut iniunctum sibi fatetur a magistro Joa. Boëme, dictae ecclesiae vicario, qui scholas et chorum pro tempore regebat. Hunc ait fuisse magnum amicum Florentii, cui cum aliis scholaribus *διδάκλεον* persolvit, cumque semel solvendo non esset, librum pignoris loco reliquisse et sequenti termino de pecunia, quam a Florentio acceperat, redimisse; quae omnia recte non dicerentur, si scholae earumque regimen ad Florentium eiusque discipulos pertinuissent, imo iniuriose, cum Florentius eatenus contra proprium statutum cum suis initum peccasset: id erat, referente Badio in vit. Thom. c. 9. n. 1., ut nullus extra domum sacerdotis ambiret nec ubivis gentium aut beneficia ecclesiastica aut officia mundana lucri gratia. Unde consequens est, iterum errasse Rosweydum adscribentem omne id

Florentio eiusque discipulis, quidquid Thomas Daventriae in studiis et pietate profecisset; cum constet illum aliis rectoribus et magistris usum et huiusmodi particulare studium Daventriae floruisse, priusquam Florentius imo et Gerardus magn. instuti sui principium posuissent, teste Joanne Buschio Chron. Windesh. l. 1. c. 2.: «Daventriae, inquiente, in diebus Gerardi particulare studium plurimorum suppositorum in pleno erat vigore, ubi iuvenes, adolescentes, maiores et minores de diversis mundi partibus accumulate confluentes, in suis fundamentalibus optime imbuebantur.»

7. Colligitur 5. Thomam consequenter in hoc studio particulari non plus didicisse, quam sola grammaticalia et fundamentalia et nec illa quidem solide et exacte, sed rudi Minerva, prout aetas illa ferebat, id quod ex iis, quae c. 6. attulimus, luculenter elucet; et quid didicisset, qui puer venerat Daventriam forte vix sciens legere praetereaque nihil; quem integro deinde sexennio opportuit adire chorum continue discere cantum, panem, vestes ceteraque ad scholas et vitam necessaria emendicare, descriptione librorum nummos pro sustentatione quaerere, magistris et scholae rectoribus in quibusvis obedire, dno. Florentio eiusque fratribus saepius famulari ac pro omnibus corporis et vitae necessariis in dies sollicitum esse. Multum est hoc per omnem modum in tantilla praesertim aetate, qua raro compertum est puerum tot necessitatibus constrictum et parentum metu liberum in studiis multum profecisse.

Colligitur 6. Thomam anno 1398. in arte scribendi necdum perfectum fuisse nec sacram scripturam ante legisse in decimum nonum aetatis suae annum.

Colligitur 7. Rosweydum denuo hàluzinari scribendo Thomam in consortio Florentii et discipulorum commorantem inter illustres eruditione viros quotidie versatum esse, cum praeter ipsum Florentium, qui liberalium artium magister et Lubertum Berner, qui philosophiae baccalaureus extitit, nullum alium graduatum legamus, imo constet eorum nonnullos relictis grammaticalibus studiis ad spiritualia sola sese in domum Florentii contulisse. Illustres autem pietate fuisse nemo est qui dubitet, ut ex ipsorem vitis, quas Thomas ipse literis commisit, manifestum evadit.

8. Quia vero Rosweydus addit Thomam illorum vivendi consuetudine delectatum fuisse, videamus breviter ex ipsius Thomae opusculis, quanta et qualis fuerit familiaritas et consuetudo: «Et si omnes tacuerint, ait in vit. Flor. c. 16. n. 4., ego non silebo, sed misericordias dni. Florentii in aeternum cantabo, quia indubitata fide adhuc vivente ipso per septennium multitudinem miserationum ipsius experientia rerum comprobavi. Siquidem cum b. Job pes fuit claudo, oculus caeco, manus egeno, baculus infirmo, solamen lapso,

amictus male vestito. Alius namque gaudebat eleemosyna sibi data, alius de tunica sibi parata, alius togam, alius capitium reportavit. Alius calceos, alius caligas, alius cingulum et soccos recepit. Alius libros, alius pennas, atramentum et papyrum se impetrasse laetabatur» etc. Rursus ibid. c. 13. n. 2.: «Ego licet indignus ab ipso saepe invitatus mensam eius paravi et modicum, quod petebat, de cellario attuli gaudensque cum multa hilaritate ei ministravi». Iterum c. 20. n. 2.: «Et ego ex eodem puteo saepius hausi aquam ad usum coquinae, qui satis augustus erat». Et prolog. n. 2.: «De quo tanto fidentius valeo loqui, quanto apertius eum agnovi et saepius ipsi astiti et ministravi». Cap. 16. n. 1.: «Et ego ex commissione eius aliquos pauperes, nominatim mihi expressos, ad domum eius hora prandii introduxi». Denique c. 18. n. 2.: «Ego quantoque internuntius huius rei fui, dicens sororibus: Orate pro dno. Florentio, quia graviter infirmatur». In vit. Henr. Brune n. 6.: «Celebravit aliquoties Henricus in festis apud leprosos de licentia dni. Florentii, ubi eidem tunc ministravi». In vit. Joan. Brinckerinck n. 2.: «Bina vice audivi eum praedicantem in die Parasceves passionem Domini satis compuncte et prolixe».

9. Ex quibus elucet, si mendicare panem, pennam, atramentum, libros, calceos, vestes et similia, quibus Thomas quotidie indigebat, aut parare mensam, afferre panes et vinum, aquam haurire, hinc inde mitti, ligna ad focum portare, pauperes ad mensam introducere, ministrare sacrificantibus aut edentibus, audire concionantes et similia est habere consuetudinem illius sacri collegii, Thomas familiarissimus fuit illustribus illis probitate viris, quibus ob acceptam assiduam eleemosynam ad famulandum obligatum se agnovit, quotiescumque petebatur; non ingratus puer. Sed iam ad chronotaxin revertamur.

10. Anno 1398. die 26. Aug. translatum est monasterium canonicorum regularium a loco Westerhof in montem s. Agnetis, ubi anno sequenti 1399. electus est in primum priorem Joannes de Kempis, Thomae de Kemp. germanus frater; cuius monasterii ecclesia conservata primum fuit anno 1412. die 8. April. eodemque anno a festo pentecostes ac deinceps omnes horae canonicae conventualiter inibi sunt decantatae. Quae omnia describit ipse Thomas in chronico s. Agnetis c. 8. 9. et 14, fateturque Rosweydus in notis ad vit. Joannis de Kemp. hoc monasterium fundatum anno 1398., uno scil. anno prius quam Thomas illud ingrederetur.

11. Anno Domini 1399. habet idem Chronicon c. 8.: «Ego Thomas a Kempis, scholaris Daventriensis, ex dioecesi Coloniensi natus, veni Zwollis pro indulgentiis a Bonifacio IX. ad fabricam ecclesiae s. Michaelis in festo inventionis s. crucis

et in festo s. Michaelis omnibus vere poenitentibus concessis, deinde processi laetus ad montem s. Agnetis et feci instantiam pro mansione in eodem loco et fui misericorditer acceptatus.» Ex quo evincitur errasse auctorem illum anonymum paene coaevum in vita eiusdem Thomae subiuncta vindiciis Rosweydi scribentem, quod Thomas montem s. Agnetis intraverit anno 1400. Venerat autem Thomas secum ferens literas commendatitias dni. Florentii, ut refert Badius in vit. l. 12. n. 1. et 2.: «Primarius autem, inquiens, lectis literis ingenti gaudio est quidem intus affectus, quia et puerum novit et scivit neminem a Florentio commendari temere; vultu tamen severiore ad bonum pueri ad pedes prostrati: Periculum, inquit, faciam in literis, moribus, valetudine tua, an onera nostra nobiscum perferre valeas, dataque manu ad reliquos novitios produxit.» Quid vero ab hoc anno ingressionis suae per sequens sexennium egerit, mox dicemus, ubi prius statum surgentis monasterii ex ipsius Thomae chronico paucis explicuerimus.

12. Haec sunt nomina, inquit cap. 3., primitivorum fratrum ac devotorum virorum, qui domum in monte s. Agnet. aedificare et inhabitare coeperunt: Primus Ioannes Wittecopp, secundus Ioannes Vunnen, qui licet caecus esset et sine literis, erat tamen Gerardi magni familiaris amicus et primus domus illius rector; tertius Wichmannus Roerinck. His tribus principalibus associati fuerunt et alii probi viri, quorum itidem tres nominat; deinde subiungit: «Per hos humiles et simplicianos et devotos Christi servulos ac veros mundi contemptores inchoata est domus nostra in monte Nemele situata, quae postmodum in monasterium translata mons s. Agnetis est appellata.» Et post paucis: «Igitur clerici libros sacrae scripturae diligenter scribebant, laici operi manuali et agriculturae insudabant; aliqui etiam artem sutoriam exercebant; quidam lanam et linum texebant, sportas et mattulas quidam parabant etc.» Pergit deinde zelum et fervorem illorum recensere. Cap. 8.: «Anno inquit domini 1399. frater Ioannes Kempis, conventualis in Windesem electus est in priorem domus montis s. Agnetis. Hic primus prior, ut quidam volunt, solum diaconus deo auxiliante statum domus cum multa et paupere familia annis novem strenue ac religiose gubernavit et tam in aedificiis quam in libris et aliis necessariis bona monasterii commendabiliter melioravit; muros ecclesiae pro maiori parte fabricari fecit et plura ligna pro consummatione tecti praeparavit; hortum pomiferum in australi parte claustri plantare coepit et in circuitu eius arbores silvestres statuit. Temporibus eius montes et colles humiliati sunt et vallium concava repleta. Non est facile dictu, quanto labore et sudore locus ille montuosus et arenosus in ubertatem fructuum et planitiem terrae sit deductus. Maximus et longus labor extitit, cum locus pro coemeterio et ecclesia parabatur, quia mons

maior ceteris ibidem steterat et totum in circuitu occupaverat, qui tamen paullatim diversis temporibus ad nihilum redactus est et extra septa in profundam vallem versus septentrionem invectus, ut vix iam eius vestigium appareat, non sine admiratione multorum. Aedificavit insuper haec necessaria: Refectorium fratrum, refectorium laicorum, coquinam et cellarium, cellas pro hospitibus, sacristiam pro divinis inter chorum et domum capituli. Ipse etiam (Ioan. de Kemp. prior) inter laborantes primus adfuit tenens trullam caementarii nec non sarculo fodiens terram et proiciens super carrucam. Tempore vacante lectionibus sacris insistebat et saepe libris scribendis et illuminandis operam dedit. Plures libros pro choro et pro armaria scribi fecit; et nihilominus, quia pauperes adhuc erant, aliquos fratres pro pretio scribere ordinavit, sicut ab antiquis temporibus consuetum erat, quod multi fratrum studiose fecerunt, alii autem laboribus externis se viriliter exposuerunt. Hactenus Thomas a Kempis.

13. Hic ergo status erat monasterii, quando Thomas ingressus est et sequenti novennio, ex quo facile colligas, inter assiduos malleos et secures opificum surgentis monasterii, interfossores, baiulos aliosque multiplices operarios eorumque clamores praecipuis aedificiis vixdum inchoatis Thomam adhuc rudem et in primis haerentem studiis grammaticis difficulter otium habuisse ea nonnumquam furtim quasi repetendi et in calligraphia se ipsum perficiendi; quo id assecutus est, ne inutilis futurus crederetur pauperrimo monasterio. Studiis autem ulterioribus applicatum non apparet, tum quia seniores ut supra dictum simpliciani erant et idiotae ad docendum inidonei, tum quia nascenti monasterio manuum assiduo labore potius succurrendum erat, ut ipse quoque prior trulla in manus sumpta caementarium egerit et sarculo terram fodiens carrucae iniecerit, procul dubio Thoma in specimen obedientiae saepissime calcem, arenam, lapides et caementum ministrante. Nec dubitandum eum inter illos quoque fuisse, qui ad describendos pro pretio libros subinde deputabantur. In cella vero si quam habuit, continue sedere et solitudini vel lectioni s. scripturae assidue vacare in tanta inquietudine sudante prae laboribus toto monasterio Thomae a germano fratre vel aliis non credo concessum fuisse; per hoc enim adolescens otiosus et pauperi domui gravis aut inutilis poterat videri. Quoad profectum in literis ulteriorem non instanter urgebatur, cum omnes ibi tunc temporis paris essent doctrinae, nempe fere nullius ac simplices, optimi tamen et piissimi religiosi. Ceterum multis adversitatibus exercitatum fuisse probum adolescentem fatetur continuator chronici montis s. Agnetis ipsi familiarissimus: «Sustinuit inquiens Thomas ab exordio monasterii magnam penuriam, tentationes et labores; procul dubio a priore germano suo severe habitus,

cuius prima cura fuit operam dare, ne praetextu sanguinis pondus inutile monasterio tam inopi imponere voluisse videretur. Quae et causa esse potuit, quod eius investitionem in septimum usque distulerit annum, quo omnium denique unanimis consensus in bene diuque probatum accessit. Nec tacendum, quod ipse Thomas (ut supra quoque meminimus) de se fateatur difficultatem mortificationis: «Bene vellem, inquiens, addiscere scribere, si scirem me bene emendare». Contigit hoc Daventriae anno 1398. Adeoque sequenti monasterium ingressus adempta sibi quidlibet agendi libertate, procul dubio maiores difficultates in passionibus domandis et emendatione morum sensit, propter quod etiam probabiliter tamdiu multis exercitationibus et humiliationibus, ut scribit auctor vitae ipsius anonymus paene coaevus, eum oportuit probari.

14. Anno 1406., ait Werlinus cit. fol. 227., in die sacramenti, quae tunc fuit in profesto Barnabae, Thomas investitus et votis sollemnibus religionem professus est. Unde apparet eum in probatione fuisse totum sexennium, menses octo, dies decem. Eo anno dieque investitum se fatetur ipse Thomas in chron. mont. s. Agnet. c. 10.: «Anno Domini 1406. inquiens in die sacramenti, quae tunc fuit in profesto Barnabae, investiti sunt duo fratres clerici et unus conversus: Frater Thomas Hemercken de Kempis civitate dioecesis Colonensis, germanus fratris Joannis Kempen, primi prioris; item frater Oetbertus Wilde de Zwollis; item frater Arnoldus Droem conversus de Traiecto» etc. De professione vero votorum sollemnium nihil habet Thomas, qui alias diligenter solitus est exprimere, ut mox videbimus. Si professio et investitio simul peractae sunt, aliud est investiri habitu religionis et aliud professionem emittere de servanda religione; seductus fuit a Badio Werlinus, asserente c. 12. n. 2. Thomam ad monasterium venientem ad reliquos novitios perductum, illius tamen professionem sexennium totum dilatam fuisse. In notis ad vit. Thom. de Kemp. n. 1. recte scribit Rosweydus, Jodocum hunc Badium vitam Thomae fusius scripsisse, sed multa paraphrastice et encomiastice inspersisse, quae ingenium magis quam fidem historicam sapiant. Inter quae et hoc computandum, quod putet Thomam in novitiatu per sexennium stetisse.

15. Ipse Rosweydus in hac re obscurus est; ait enim: Post quinque annos in tirocinio positos sexto demum sacrum habitum induit et sequenti sacro se voto ei generi vitae obstrinxit. In notis ibid. n. 8. fatetur Thomam anno 1399. in monte s. Agnet. susceptum, quo ex tempore usque ad festum S. Michaelis an. 1404. excurrerat totum quinquennium; adeoque iuxta Rosweydum an. 1405. sacrum habitum induisset et

sequenti 1406. sacra se professione obstrinxisset, quo loquendi modo per investitionem intelligit professionem regularem: in hoc uno recte sentiens, quod integrum annum Thomae novitiatui post susceptum habitum assignet. Auctor anonymus vitae eiusdem: Fuit inquit investitus Thomas ibid. anno dni. 1406.; et sic fuit per sex annos probatus, antequam investitus, quia tunc temporis fuit consuetudinis, quod sic probantur, antequam investiantur, tamquam aurum in fornace. Et quia acceptus erat Deo, ideo necesse fuit, ut multis tentationibus et exercitationibus et humiliationibus probaretur.

16. Verum ut certe nobis constet, quo anno Thomas professionem fecerit, notandum longe aliud esse investitum et aliud professum fieri; rursus aliam esse probationem ante novitiatum quasi praeambulam, aliam ipso durante novitiatu canonicam, prout Thomas ipse suis verbis clarissimam facem nobis praeferens docebit, qui in chronic. c. 6. sic loquitur: «Anno 1398. festo die annuntiationis B. M. V. investiti sunt a venerab. et religioso viro dn. Joanne Walle, priore regularium civitatis Zwollensis ad huiusmodi officium specialiter vocato, primi quattuor fratres nostri, quorum ista sunt nomina» etc. Et infra: «Hi quattuor eodem die professionem suam fecerunt.» Quid opus hic erat facere specialem mentionem professionis, si idem fuit investiri quod profiteri? Ibid. c. 10: «Anno inquit 1401. in crastino divisionis apostolorum fuit investitus P. Joannes Drick de civitate Steenwick, dioecesis Trajectensis. Hic antea fuit presbyter et vicarius in Steenwick, qui infra annum probationis de licentia prioris superioris in natali s. Joannis apostoli professus est postea procurator effectus.» Et cap. 26.: «Anno dni. 1455. investiti sunt clerici in conversione s. Pauli fr. Henricus Brunonis et Theodoricus Arnoldi, ambo de Daventria nati de bonis parentibus et amicis; et anno sequenti eodem die professi». Iterum c. 29.: «Anno dni. 1464. idibus Maii investitus est in conversum domus nostrae Hubertus Nicolai de Annesfordia, annorum 35, qui tribus fere annis probatus in conversum est pie investitus». Rursus in Dial. Nov. c. 5. n. 3.: «Post probationis tempus habitu regulari indutus est Alardus atque anno completo solemni voto professus». Plura adfert continuator chronici mont. s. Agnet., ubi c. 18.: «Numerus autem earum inquit, quae primo in loco Bronopia investitae sunt anno 1411. in die conceptionis B. V., quattuordecim sorores fuerunt; ex his decem moniales factae sunt et quattuor conversae. Sed et de illis decem monialibus quattuor professae sunt eodem die, reliquae sex moniales cum quattuor conversis per annum novitiae permanserunt». Et cap. 14. ibid.: «Erant autem undecim numero, quae habitum et ordinem secundum regulam b. Augustini episcopi assumpserunt an. 1408.; e quibus tres primae eodem die professae sunt, reliquae novitiae

per annum permanserunt.» Qui horum plura desiderat, legat chronicon Windesheim. Joannis Buschii.

17. Unde clare innotescit, aliam fuisse probationem ante novitiatum et aliam in ipso novitiatu, et investiri nihil aliud esse quam habitum religionis assumere seu fieri novitium religionis. Annus autem probationis in novitiatu tunc temporis utpote ante concilium Tridentinum erat adhuc dispensabilis per superiores religionum, ex quo factum, ut plures eodem quo investiebantur die prae fervore spiritus mox etiam professionem emiserint. Quando proinde Thomas, ubi supra scribit, se una cum fr. Oetberto Wilde in festo venerab. Sacramenti fuisse vestitum, plus non dicit, quam se tunc habitu religionis assumpto novitiatus annum intrasse et anno probationis exacto sequenti 1407. professionem fecisse. Confirmatur ex cap. 16. Chron., ubi Thomas praedictum fr. Oetbertum secum investitum asserit obiisse an. 1421. in festo s. Lamberti episcopi et mart. 17. Sept., aetatis suae tricesimo octavo, professionis suae in religione decimo quinto; id quod non esset, si cum Thoma in festo Barnabae anno 1406. investitus mox pariter professionem fecisset; tunc enim annus professionis decimus sextus concurrisset. Non fuit ergo Thomas professus ante annum 1407. neque novitius ante 1406., uti perperam docuerunt Badius, Rosweydus et Werlinus, qui etiam in hoc ulterius exorbitat, quod dicto fol. 227. de Thoma scribit: «In novitiatu retinebat habitum devotorum». Nam in Dialogo novitium sic alloquitur c. 4. § 4. «Noli affectare familiaritatem extraneorum, qui habitum geris devotorum». Hic erat grisea tunica de quattuor partibus panni consuta, nigris cingulis praecincta nigroque caputio cum timpa gracili collo super inducto, toga similiter grisea semirotunda in dextera aperta ad longitudinem tunicarum.

18. Verum Werlinus Thomae sensum non satis assequitur; is enim per habitum devotorum cit. loc. nonnisi habitum religionis (qualem gestare novitii solent) intelligit, eodem siquidem capite § 8. sic pergit alloqui novitium: «Persevera etiam cum b. Samuele in tabernaculo foederis coram arca Dei, in habitu religioso devote ac reverenter Domino ministrando». Et serm. 1. ad nov. p. 1. n. 7. statum religionis nominat statum devotionis. Et p. 3. serm. 5. n. 4. novitium his verbis exhortatur: «Imitare iam nunc et tu matrem Dei auditis laudationum eius praeconiis, quatenus et tu ipse in numero devotorum (i. e. religione professorum) merearis precibus matris virginis computari». Et in quem finem obsecro investiebantur tunc novitii, si habitum illum, quem aiunt fuisse devotorum, secularium retinuissent. Cur autem Thomas a primo ingressu monasterii tamdiu fuerit probatus, causam in scriptis nemo nobis reliquit ipseque Thomas suppressit; nam illa, quam excogitaverat anonymus auctor vitae ipsius paene

coaevus, non subsistit, quam his verbis narrat: «Thomas a K. fuit investitus ibidem an. Dni. 1406., et sic fuit per sex annos probatus, antequam investitus, quia tunc temporis fuit consuetudinis, quod sic probantur prius, antequam investiantur». Haec inquam ratio non subsistit; constat siquidem ex c. 8. Chron. mont. s. Agnet. ab ipsomet Thoma conscripti, an. 1399. in profesto s. Barbarae virginis post Thomam ad monasterium venisse Wilhelmum Henrici de Amsterdam, quem idem Chron. c. 10. narrat mox anno 1401. a priore Joanne Kempen in die s. Brixii episcopi et confessoris necdum exacto biennio investitum fuisse, iuvenem annorum 23, quando Thomas agebat vicesimum secundum.

19. Anno Domini 1413. mense Sept. vel Decembr. vel anno 1414. in Quadragesima vel Pentecoste Thomas de K. presbyter ordinatus est. Ita continuator chronici ipsius asserens Thomam obiisse anno 1471. in festo s. Jacobi minoris anno aetatis suae 92., sacerdotii autem sui 58., quem cum Werlinus dicat natum in fine anni 1379., sequitur morientem anno 1471. mense Julio annum aetatis egisse currentem nonagesimum secundum; id quod Rosweydus et Werlinus ultro fatentur. Cum proinde continuator nulla verborum disparitate usus eundem dicat obiisse anno sui sacerdotii 58., consequens est similiter currentem intellexisse adeoque Thomam sacerdotio initiatum fuisse post festum s. Jacobi anno 1413. vel ante id festum anno 1414. Sic enim et non aliter obiit anno sui sacerdotii currente quinquagesimo octavo.

20. Werlinus ut sacerdotium Thomae ad annum Christi 1411. referre queat, continuatorem hoc loco varie torquet: Continuator chronici inquiens ait eum obiisse anno investitionis suae 63. At si exacte computes, invenies, a 10. Junii 1406. usque ad 25. Julii 1471. annos 64, mensem unum et dies 16, ut sic obierit anno investitionis 65. Verum chronista rationem inierit annorum aetatis eius, quos si incipias a festo s. Thomae, habebis ab investitione usque ad obitum annos 63 et duos incompletos, quorum proinde rationem ille non habuit. Anno 1411. factum presbyterum colligo eadem ratione, cum continuator ponat annos sacerdotii eius 58, videlicet integros (unde integros, Werline?) quibus si addas duos incompletos, fient sexaginta: ut nimirum hac ratione initum sacerdotium ad annum 1411. retorquere valeat. Errat primum hic Werlinus toto anno in supputatione temporum a 10. Junii 1406. usque ad 25. Julii 1471., ubi si exactius computentur, invenientur anni integri non solum 64, sed 65, mensis unus et dies sexdecim, ut sic obierit propriissime loquendo anno investitionis suae 66. currente. Secundo errat asserendo chronistam computando annos ab investitione iniisse rationem annorum aetatis eius, quos iam prius clarissime expresserat; hoc autem loco nonnisi ab investitione computat alios. Tertio

errat aiens continuatorem in annis tam ab investitione quam a sacerdotio computandis non habuisse rationem duorum incompletorum annorum integros antecedentium et subsequentium, cum tamen adeo clare etiam habita ratione duorum incompletorum annum currentis aetatis expresserit, ut citra absurdum stantibus suis verbis aliter exponi nullo modo possit. Quare si Werlinus annum aetatis 92. currentem agnoscit (prout ex propria supputatione agnoscere convincitur), quid est, quod annum sacerdotii 58. pariter non agnoscat, quando quidem utrobique eodem prorsus loquendi modo utitur continuator?

21. Addo chronistam hunc alias tam accuratum extitisse, ut saepius expresserit medios annos, menses immo et hebdomades residuas, v. g. dum eadem pagella de mortuo Hermano Craen loquitur: Hic inquiens triginta octo annis et medio in religione conversatus nobiscum. De Wichmanno Spuelre: Ultra quattuor annos conversatus est nobiscum. De Henrico Pauli: Conversatus est nobis in religione quattuor annis cum medio. De Petro Nicolai: Conversatus est autem nobiscum in braxatorio annis fere viginti sex minus medio. De Petro Simonis: Novem annis cum medio nobiscum in religione conversatus. De Joanne Kysendael: Quattuor decem annis et duobus fere mensibus in religione nobiscum conversatus. De Ottone Lyman: Conversatus nobiscum annis quinquaginta quinque et medio amplius. Denique de Theodorico Veneman: Conversatus est nobiscum laudabiliter annis quinquaginta duobus duabus hebdomadibus minus. Pluribus exscribendis supersedeo; unde liquet continuatorem hunc magnam rationem habuisse incompletorum annorum, ut praesumendum minime sit eum in solis annis Thomae de K. computandis negligentiorem extitisse; sed cum ait: hoc vel illo anno etc. nonnisi currentem, ut fit communiter, intelligi voluisse.

22. Superest unica difficultas. Cum Thomas ipse fateatur se anno 1406. investitum, quo modo continuator defendendus affirmans illum 1471. morientem obiisse anno investitionis suae 63., cum decesserit anno investitionis 66. currente? Hic ego librarios accusare malim quam tam accuratum continuatorem; quis enim non videt numerum seu cifram hanc latinis literis ab ipso scriptam mutatu facillimam esse in alteram, ita ut negligentior librarius non apparente vel non observata contradictione duarum unitatum pro numero 66. etiam citra graviorem culpam posuerit numerum 63. Sic prorsus existimo, qui nodum hunc gordium melius solverit, tollat brabeum. Werlinus non solvit, sed magis intricavit. Ceteri ne attingunt quidem.

23. Anno 1414. Thomas absolvit scribendo ingentem illum librum missarum (non unius duntaxat anni opus)

praecellenti arte, ut Rosweydus ait, et magna industria conscriptum, quem in folio apud canonicos regulares ad s. Martinum Lovanii servari memorat; in cuius ultima pagina rubris literis haec leguntur: «Finitum et completum per manus Fr. Thomae de Kemp. anno Domini 1414.» Quod missale ante suas primitias absolvisse credibile est, ut sic duplicato cum honore (arte typographica necdum inventa) primum ex eo sacrum deo offerret. Anno 1424. in somnio praevidit obitum fr. Joannis Huesden secundi prioris in Windesem ibidem existens, quo tempore jam describendis sacris bibliis operam dabat. Anno 1425., ut inquit Werlinus, Theodorico Clivis subpriore in priorem electo, successit Thomas in subprioratu. Consentit chronicon c. 20. et 22. Anno 1429. in officio subprioratus perseverans ipso die s. Barnabae apostoli, una cum priore et conventu montis s. Agnetis pulsus est in exilium Lunekercam Frisiae occidentalis, monasterium capituli Windesemensis occasione schismatis inter duos electos episcopos Trajectenses. Chron. c. 22. Anno 1432. data est, ait Chron. c. 23., licentia religiosis fratribus et devotis presbyteris et canonicis redeundi ad loca sua et monasteria. Eodem anno, subiungit c. 24., quarto die mensis novemb. obiit Fr. Joannes de Kempis in Bethania prope Arnhem monasterio sanctimonialium, ubi tunc praesens fui, ait Thomas, et oculos eius clausi; nam per visitatores pro socio sibi deputatus fui et uno anno et duobus mensibus secum steti. Itaque ex Lunekerca missus est circa initium septembris an. 1431. et paulo tardius aliis ad suum monasterium revertit. Subprioratus officio per hoc ipsum exutus, quod socius germani fratris ad moniales deputatus, ibidem diutius haeserit. Ex allatis obiter innotescit errore lapsum Rosweydum c. 7. vind. vind. Kemp. affirmantem Joannem de Kemp. decessisse circa annum 1427. vel 1428., cum adhuc quadriennio supervixerit.

24. Eodem tempore Thomas in describendis sacris bibliis strenue pergebat, quae demum quattuor tomis absolvit. Scripsit autem bibliam nostram totaliter et alios multos libros pro domo et pro pretio, inquit continuator chron., de quibus bibliis haec habet Rosweydus in notis ad vitam Thomae n. 9. Ea in folio quattuor tomis compacta asservantur Coloniae apud canonicos regulares ad corpus Christi, ubi in fine primi voluminis, quo continetur Pentateuchus, usque ad finem libri Ruth sic scribitur: Finitus et completus anno Dni. 1439. in vigilia s. Jacobi apostoli per manus f. Thomae Kempis ad laudem dei in monte s. Agnetis. Et in tertio ad extremum libri Maccabaeorum additur: Scriptum per manus f. Thomae a Kempis; et ita Rosweydus, ex quo eadem hausit Werlinus fol. 148. et 231. V. V., qui ambo melius egissent, si Thomae subscriptionem e singulis tomis desumptam sincere retulissent, ut constaret, quot annis hic laborio-

sissimus antiquarius in describendis tam operose singulis totisque bibliis laborasset; nam qui ipsos quattuor tomos eorum inspexisse feruntur, rem paulo aliter narrarent, singulas nimirum subscriptiones sic ordine se habere: Finitus et completus anno domini 1427. in vigilia s. Matthiae per manus Fr. Thomae de Kempis; finitus et completus anno dni. 1432 per manus Fr. Th. d. K.; finitus et completus an. dni. 1436. per manus Fr. Th. d. K.; finitus et completus anno dni. 1439. in vigilia s. Jacobi apostoli per manus Fr. Thomae de K. etc. Quod si ita est, errasse oportuit Rosweydum et Werlinum, qui quarti voluminis subsriptionem primo supposuerunt. Absolutis hoc modo sacris bibliis anno 1439. multorum annorum labore coepit describere quattuor libros de imit. Chr. una cum aliis quibusdam libellis spiritualibus; sua manu nimio similiter in fine contestatur: Finitus et completus anno domini 1441. per manus fr. Thomae de Kempis de monte s. Agnetis prope Zwollis. Anno 1448. Thomas fere septuagenarius secundo electus est in subpriorem sui monasterii, ante hoc aliquamdiu procuratoris seu dispensatoris quoque munere functus. Ita Chron. s. Agnetis cap. 26. et lib. de fideli disp. c. 3. § 4. Verum non diu hoc altero subprioratus officio functum fuisse, ipse insinuat in chron. c. 27.: Anno, inquiens, 1458. obiit in crastino nativitatis B. et gloriosae V. M. dilectus frater noster et subprior domus nostrae fr. Henricus Ruhorst annorum 40. Anno denique 1471. in festo s. Jacobi maioris post completorium obiit praedilectus fr. noster Thomas Hemercken de Kempis. natus civitate dioecesis Colonensis, anno aetatis suae 92., ut ait continuator chronici eiusdem.

25. His praemissis videamus, quando Thomas libellum de im. Chr. composuisse feratur. Henricus Sommalius e soc. Jesu anno 1599. et seqq. in recensita a se nova editione libri de imitatione haec verba praemiserat: Auctor huius libelli Thomas a Kempis in fine autographi sui fatetur, se hunc librum scripsisse anno 1441. Sommalius igitur, cum nullibi fecerit mentionem antiquioris exemplaris nec forte crediderit vetustiores manuscriptos uspiam reperiri, persuasum sibi, ut apparet, penitus habebat illum codicem anno 1441. exaratum primigenium et protographum esse, e quo velut ex fonte omnes alii descripti promanarint. Superveniens Heribertus Rosweyd eiusdem soc. ambigere coepit, num id exemplar Antverpiense protographum esset: certum est, inquiens cap. 7. Vind. Kemp., ex Thomae autographo, ubi annorum notam apposuit, librum eum scriptum anno 1441. Scripsit tunc quidem hoc exemplar, sed forte annis aliquot ante composuerat et aliud exemplar scripserat. Ac paulo post: Cum haec scripseram, nactus sum postea exemplar Noviomagense scriptum anno 1427. Haec Rosweydus, quem miror etiam post acceptum Noviomagense adhuc dubitasse, quoto vero

anno ante Thomas libellum hunc forte composuerit, praeter morem non auguratur.

26. Successit tertio loco Simon Werlinus, praepositus Diessensis in Bavaria, qui cum didicisset, libellum de imit. ante annum 1441., adeoque ante autographum ut vocant Thomae de Kempis exaratum, in diversis monasteriorum superioris Germaniae bibliothecis manu scriptum asservari, in codicibus annos suae scriptionis exprimentibus (ut 1421, 1427, 1433, 1434, 1435, 1438, 1400) editis Coloniae Vindiciis vindiciarum in omnem partem se flexit, ut horum codicum fidem vel infringeret vel protographum Thomae d. K. omnibus his antiquius esse statueret. Fatetur quoque Joannes Fronto canon. reg. Parisiens. in suo Thoma Kempensi vindicato p. 1. § 2., proferri a Francisco Valgravio vetustum manuscriptum habentem numerum anni 1418.; at nos, inquit Werlinus fol. 231., maiorem vetustatem opusculi asserimus; quis enim credat, eum v. g. primi libri, quo non magis alios, quam seipsum (quemadmodum significant illa verba lib. 1. c. 10. in fine «utinam in te» etc.) exstimulat ad emendationem vitae, compositionem differre voluisse usque ad annum suum 62. et non potius elaborasse vel ante vel proxime post professionem (quam ait factam 10. Junii an. 1406); quid enim tale non potuit? Et folio 62. totum libellum complexus: «Quare, ait, etiam noster Thomas scripsisse potuit librum, de quo nunc contendatur, intra annum tricesimum aetatis suae, qui erat Christi 1409». Postmodum cernens se hac assertione impingere, quod auctor passim lib. 4. de imitatione fateatur se sacerdotem, Thomas vero anno 1409. necdum presbyteratum adierit, annos laxandos ad sacerdotium usque credidit: «Quid porro dubitabimus, inquiens fol. 232., quin ille, qui in festo ss. corporis Christi sese penitus consecrarat, fortassis etiam eodem festo primum sacrum fecerat, librum de Sacramento lucubraverit ante vel circa tempora initi sacerdotii?» quod ipse vult eum iniisse anno 1411. mense Junio. Et mox: «Quidni an. 1414. in honorem Sacramenti scribendo finivit missale, prius composuit maioris scilicet et magis necessariae devotionis causa librum de sacramento? Quidni, qui anno 1425. factus est subprior et pluribus ante annis rexit novitios, ut sic mereretur subprioratum, longe etiam prius composuit sibi ipsi, ut apparet passim, admonitiones ad vitam spiritualem utiles et ceteros libros, qui nunc de imit. Chr. inscribuntur?» Denique iterum fol. 61.: «Scripsit Thomas vitas Florentii, presbyteri Daventriensis et discipulorum eius praecipuorum etc. Horum omnium vitas plenas salutaribus documentis huius libri spiritum sapientibus rerisne tu dilatas ultra annum 1420. et non multo citius conscriptas fuisse, dum adhuc caleret eorum memoria? Si ergo has potuit mandare literis ante annum 1421., non potuit

etiam de imit. Chr. scribere ante vel post vel inter illas? Hae sunt demonstrationes, haec motiva et argumentum, quibus Werlinus probat Thomam de K. quattuor libellos de imitatione scripsisse successive annis 1405. 6. 7. 8. 9. 10. 11., veritus ne utrimque in sibi praetensos casses impingeret. Si enim infra annum 1411. ascenderet, metuebat, ne alicunde vetustiores manuscripti prodirent, confusionem assertioni suae parituri.

27. Ceterum quod intra dictum septennium Thomas composuerit libros de imit. Christi, Werlinus non demonstrat; si enim per haec verba: «quis credat? quidni? non potuit? rerisne tu? quid dubitabimus? etc.», si inquam per haec et similia interrogare idipsum est quod demonstrare, nescio, quidni toto orbe demonstrari nequeat. Sed neque docet absolute Thomam hos composuisse libellos, quae principalis nostra quaestio est, cum id ubique supponat et solum scriptionis inquirat annum: id quod est ante sementem metere velle. Oblitus est hic Werlinus armorum suorum, quibus se contra Cajetanum tuebatur fol. 132. Is dixerat fol. 126. citatus: «Potuit Ubertinus librum suum rudiori Minerva digessisse, dum viveret Bonaventura» etc., quem sic refutat Werlinus: «Potuit Ubertinus; quid potuit nisi etiam non facere, antequam voluit. Non audisti in scholis non esse argumentandum a potentia ad actum»? Et fol. 251.: «An nescit Caietanus argumentum non valere, quod ideo concludit aliquod factum, quia fieri potuit»? Iterumque folio 287.: «ad illa Cajetani: Nego potuisse, quoniam ostendere debetis factum esse». Hoc ipsissimo scuto defensus omnia, quae superius advolarunt, Werlini tela laetus excipio ipsique fracto cuspide irrita remitto constanter asseverans, Thomam nullo umquam anno aureum imitationis composuisse libellum. Quod scutum pariter Joa. Frontoni obicio, p. 1. § 2. scribenti: «Respondeo praeterea Thomam a K., qui natus est an. dni. 1380., potuisse multo ante edidisse hos libellos». Non enim quaerimus, quid potuerit, sed quid fecerit.

28. Ad argumentum desumptum a scriptione vitarum Florentii et discipulorum quod spectat: negamus eas a Thoma scriptas ante annum 1421. Multo post editas esse arguunt illa verba in prologo vitae Gerardi: «Ex quo multi jam patres et devoti fratres olim mihi cogniti dormierunt, eorum virtutes effari non vereor. «Et in prologo vitae Florentii fatetur se vitas illas ex ordine seu continuo scriptionis filo, non per intervalla contexere; prologum vero vitae discipulorum sic orditur: «Quia deo donante de venerabilibus patribus ac illustribus viris, magistro Gerardo et dno. Florentio quaedam virtutum opera secundum tenuitatem ingenii mei impolito sermone descripsi, restat nunc consequenter, prout memoriae occurrit, de eorum discipulis aliqua assignare». Inter illos

vero undecimo loco ponit vitam Arnoldi Schonhoviensis, quem narrat defunctum 9. Maii anno 1430., sexto loco vitam Henrici Brune, quem ait obiisse 1439. Unde manifestum evadit vitas illas ante annum 1439. adeoque aetatis suae sexagesimum scribi non potuisse. Hinc est, quod eas per modum dialogi cum novitio scribens se ipsum perpetuo nominet seniorem.

29. Superest Heserus e soc. Jesu, qui in Dioptra sua Kempensi fol. 22. ait: «Autographum Thomae, quo gloriatur Antverpia, non esse archetypon, sed aliud, quod iam nescimus vel non extat amplius, fuit archetypon, quod aetate codices omnes ab adversariis productos antecedebat». In summula vero sua Caietani fol. 34. ait: «Utrum id archetypon adhuc existat, nescimus; ambo enim pari ignorantiae subsunt». Sed in Dioptra pergentem auscultemus: «Est itaque Antverpiense autographum ectypon tantum, denuo descriptum a Thoma Kempensi et completum anno 1441., a quo multis annis ante fuit compositum, qui componere illos libros per aetatem potuit» etc. Et fol. 150: «Et per aetatem non potuerit Thomas a Kempis auctor esse libri de imitatione»? Verum hos ictus supradicto scuto pariter eludere me docet Werlinus. Pergit Heserus: «Ex gravissimis historicis constat libellum de imitatione Christi circa annum 1410. jam conscriptum et vulgatum fuisse». Sed quo auctore? Audiamus! «Ille est constituendus, inquit fol. 151., auctor librorum de im. Chr., qui scribere libros illos potuit per aetatem, et a quo scriptos fuisse illos libros tot sinceri tum vetusti codices tum recentiores, tot item insignes testantur viri. Sed Thomas a Kempis scribere libros illos per aetatem potuit, ut qui natus est anno 1379., et ab eo scriptos fuisse attestantur tot vetusti et recentiores codices et asseverant praeterea tot egregii viri etc. Ergo Thomas a Kemp. dicendus est auctor librorum de im. Chr.» Haec ille. Nos negamus maiorem; non enim ille est auctor, qui scribere potuit, sed qui scripsit. Quotusquisque potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit; nec infinita testium multitudo efficiet, ut is, qui solum potuit scribere, scripserit, si non scripsit. Prout hic factum, quot amabo egregios libros potuerunt per aetatem scribere s. patres plurium seculorum et conciliorum testimoniis sibi attributos, quos tamen non scripsisse demonstrantur a theologis Romanis, Lovaniensibus, Parisiensibus, a Bellarmino, Possevino, Frontone Ducaeo, Jac. Sirmondo et aliis. Aliter ergo probandus auctor librorum de im. Chr. Et quid, si dicerem cum Werlino: Nego Thomam illos scribere potuisse, quoniam ostendere debetur factum esse.

30. Fol. 152. Dioptrae sic pergit Heserus: «Quo tempore absolutus fuerit ab auctore suo, dici certo non potest; mihi tamen clarum videtur, circa annum 1410. librum primum,

secundum et tertium iam perfectos fuisse, quartum accessisse tunc, cum Thom. initiatus est sacerdotio. Rem ex eo conicio, quod istorum librorum praecepta fluxerunt a Florentio, qui fuit omnium devotorum pater amandus et praedilectus omnium devotorum pater. Audi ipsummet Thomam a K.: Quidam devoti verba ab ipso dicta scripserunt in tabulis et libellis; inter quos non postremus fuit certe ipse Thomas, qui quae in adversario suo tumultuario coniecerat, per sexennale tirocinium in monte b. Agnetis exactum seligere et in pios libellos cogere coepit, quos iisdem devotis fuisse nuncupatos vetustissimae quaedam inscriptiones docent, in haec verba: Incipit libellus consolatorius ad instructionem devotorum». Haec Heserus, ubi coniectura illa, quod istorum librorum praecepta fluxerint a Florentio, nimis lubrica, immo falsa est. Qualis enim consequentia? Florentius fuit omnium devotorum pater amandus, ergo praecepta istorum librorum fluxerunt a Florentio. Vel quidam devoti ipseque Thomas verba a Florentio dicta scripserunt in tabulis et libellis, ergo fuerunt ipsissima illa, quae continentur in libris de im. Chr. Hoc ipsum probare tuum est, Hesere, non coniectari vel augurari duntaxat. Si ex me quaeras, quaenam illa in tabulis et libellis notata fuerint, respondeo: non alia quam quae Thomas ipse duobus et non amplius foliis in fine vitae Florentii complexus est sub hoc titulo peculiari: «Quaedam verba mirabilia domini Florentii presbyteri». Quam autem haec Florentii verba quoad stylum et emphasin differant a verbis librorum de im. Chr., cuivis lectori non praeoccupato iudicandum relinquo. Quod si Heserus Thomam praeter haec verba alia quoque Florentii in tabulis scripsisse velit, doceat, priusquam affirmet.

31. Fallitur idem, ut infra c. 21. docebimus, quod existimet hos libellos de im. insinuatis a se devotis fuisse nuncupatos. Quod dicat tres priores libros circa annum 1410. perfectos fuisse eo, quod Thomas verba Florentii a se notata jam ab anno 1399. et per sequens sexennale tirocinium in pios libellos cogere coepit, non subsistit; praeterquam enim quod haec nulla historica fide nitantur, sed inanes sint coniecturae, etiam adverbium «circa» ultra vires proprias nimium extenditur, quando ab anno 1410. per annos decem praecedentes ad undecimum usque retro trahitur, quo Thomas coeperit his libellis describendis operam dare. Etiam novatores nostri dicunt ecclesiam Romanam ab orthodoxa fide iam circa annum dni. 600., sive circa tempora Gregorii nostri magni defecisse, quod nos catholici merito ridemus, quod nec annum, nec pontificem, nec diem, nec consulem, quo tanta eclipsis seu eiectio in oculis totius orbis, ipsiusque urbis urbium contigerit, nominare queant, sed in solo adverbio «circa», veluti pro cuiusque libitu extensibili hae-

reant. Vereor eandem solutionem Heserum et Werlinum reportaturos, dum pertinaciter affirmant hos libellos circa annum 1410. a Thoma compositos esse. Nec interim quidquam nisi divinando statuere possunt historiae luce destituti, ut ipse fatetur Heserus fol. 23. Cur igitur rem in tenebris definiunt?

32. Porro circa illa tempora composuisse, pergit idem, testantur gravissimi auctores, qui in scriptorum ecclesiasticorum aetatem inquisiverunt: Jacobus Philippus Bergomensis in supplemento chronicorum Thomae auctori librorum de im. Chr. assignat annum 1406. Guilelmus Eysengreinius in catalogo testium veritatis refert hunc scriptorem ad annum Christi 1407. Cur, si nihil eo anno scripsit? Sebastianus Beronius in chronicis ecclesiae lib. 8. c. 36. collocat intra annum 1400. et 1410. Num bene, si intra hoc decennium nihil ab eo scriptum? Joan. Trithemius libro de script. eccles., item lib. de viris illustribus, German. Benedictus Bernierus lib. de ss. Eucharist. 1410. inclaruisse dicunt. Unde nisi a libris iam tum scriptis? et quidem illis, quos seniores seniorum Trithemii legerunt de im. Chr.? Henricus Spondanus in auctario, Jacobus Gordonus oper. chronol. tom. 2. annum illi assignant 1412. Taceo reliquos, quia septem illi sapientes sufficiunt. Hactenus Heserus.

33. Respondeo: 1. Septem hos sapientes inter se minime convenire, si unus nominet schinum, alter prunum; si unus annum 1406., alter 1407., alius 1412., alius intermedium annorum 1400. ad 1410. libellorum horum scriptioni deputat; si vero hos annos assignent solummodo vitae Thomae de Kempis et Florentii eius aetati, recte quidem sentiunt, sed quid haec rhombum? Teste siquidem Werlino fol. 68. V. V. nequaquam sufficit, ut dicas aliquem vixisse anno v. g. 1430., ut eodem scripserit hunc vel illum librum. 2. Tametsi quid scripsisset ideoque inclaruisset (quod tamen probandum est; et a pietate inclarere potuit), non sequitur eum hos ipsos de im. libellos eo tempore, nedum absolute composuisse. 3. Sapientes hos longe sapientiores fuisse, quam autumet Heserus. Quis enim ipsorum affirmavit, Thomam de Kempis hosce libellos circa annum 1410. scripsisse? Certe ne unius quidem testimonium disertis verbis id affirmantis protulit Heserus; quapropter hi septem viri pro Hesero nihil contestantur.

34. Respondeo 4. Posito non concesso, quod pro Hesero expresse testarentur, attamen, cum anno 1433. nullus ipsorum adhuc fuerit in rerum natura adeoque per se istius rei evidentem notitiam non habuerint, si testari volunt hos libellos circa an. 1410. a Thoma compositos esse, aliis iisque antiquioribus testibus opus habent, quibus intentum suum probent. Nam et in iure canonico et civili, nedum historia

doctori etiam excellenti nihil alleganti non creditur, ut tradit Bald. Curt. Grat. Grammat. Sylvan. Roland. a valle aliique passim, apud Ant. Maria. Coratium lib. 2. de comm. opin. tit. 9. n. 129. «Ad auctoritatem doctoris N. respondetur», inquit etiam Joa. Crusius e societ. Jesu, «illam tantum probare, quantum leges, canones ac rationes ab ipso adductae probant.» Everhard. ab auctorit. n. 12. q. 7. Eclips. c. 2. n. 8. Confirmatur a Valent. Mangion. eiusd. societ. Theoricae 1. 9. nu. suo. 15., dum ait: «Nulli doctori creditur quantumvis eximio, ubi de rebus mere dependentibus a dispositione legis positivae loquuntur sine lege ac textu.» Applico et dico: Nulli historico quantumvis excellenti creditur, ubi de rebus aetatem suam antecedentibus loquitur sine testibus antiquioribus, qui rem perspectam habuerint. Adeoque tantum quisque probat, quantum illi antiquiores ac rationes ab eo allatae probant, non amplius nec suffragatur cuiquam sua auctoritas; nam in quaestione facti (ut recte infert Werlinus fol. 89. V. V.) nihil valet personae affirmantis vel negantis auctoritas, nisi accedat demonstrationum pondus et gravitas. Jam vero hi septem nuncupati sapientes imputatam sibi assertionem nulla solida auctoritate vel rationis pondere probant. Ergo minor est in aperto cuivis inspicienti; maior per se claret. Si enim cuivis recentiori historico, sine sufficiente auctoritate vel ratione de factis antiquioribus loquenti credendum esset, infinitis erroribus aperiretur janua. Hinc fit, ut passim unus historicus reiciat alterum, quod innotescat assertam narrationem quoad tempus vel aliud non solida auctoritate vel ratione fundari. Qua ipsa de causa Werlinus fol. 67. et 68. ait: Michaeli Pocciantio recentiori libro de scriptoribus florentin. de Mariano scribenti se non credere sine teste, qui noverit Marianum, si non immediate, saltem ex relatione eorum, qui noverant eum.

35. Resp. 5.: Etiam alios sapientes reperiri historicos ut Iodocum, Coccinum, Iacobum Gaulterum e soc. Iesu aliosque plures, qui in suis chronologicis docent, Thomam de K. floruisse vel claruisse anno 1430. At nec Heserus nec Werlinus admittent hac phrasi verborum significari libros de im. Chr. tunc primum ab eo compositos esse, cum vetustiores manuscripti reperiantur. Igitur ex his formulis aut similibus loquendi «floruit, claruit, vixit etc.» male infert Heserus septem illos sapientes sibi patrocinari. R. 6.: Advertendum, quam caute noster Ioa. Trithemius et quam singulari cum prudentia de isto libello scripserit semper ambiguis verbis utendo, ne rei incertae sua affirmatione plus aequo firmitatis adderet: De eius (Thomae) voluminibus, inquiens, feruntur subiecta; item: duo fuisse feruntur huius nominis; item: opuscula scripisse dicitur; item: quae secundus fecisse

putatur; item: libellus de im. Chr. primi fertur auctoris etc., e quibus loquendi modis planum fit, numquam de suo locutum, adeoque incertis narrationibus nixum perperam ab Hesero in patrocinium sui erroris adduci feruntur; at Werlinus fol. 28. v. v. de famae incerto loquitur, qui nihil certi habet. R. 7. Quando Trithemius de suo addit: «Claruit autem Thomas iste senior sub Ruperto, bavaro imperatore anno dni. 1410.», expresse loquitur de seniore, quem ibidem asserit temporibus magistri Gerardi magni ad religionem conversum. At hoc non competit nostro Thomae (quippe qui anno 1384. moriente Gerardo magno adhuc erat quadriennis infans), sed Ioanni de Kempis. Ergo illum annum 1410. non Thomae nostro, sed eius germano fratri Ioanni, quem ipse per errorem etiam Thomam nominat, attribuit adeoque nihil pro Hesero. Proinde claudendo praesentem discursum et solutis opponentium argumentis hoc solum adicimus: Si perrexerint negare illud Thomae m. s. anni 1441. esse protographum dixerintque pertinaciter ante 30 circiter annos composuisse, tum iure nostro exigemus, ut vetustiorem adeoque primigenium Thomae codicem aut sane attestationem fide digni scriptoris de primo a Thoma composito producant. Id enim ipsissimus Werlinus inter alia exigit etiam a Valgravio fol. 79. et 80. nov. vindic., videlicet, ut aliquem Ioannem Gersen abbatem libellum controversum composuisse probet non voluntariis assertionibus suis nec aura levioribus coniecturis, sed certa veterum auctoritate. Id quoad praestiterint, nos eos amanuensi famam auctoritatis frustra tribuere constanter asseremus.

36. Verum iam denique restat, ut doceamus, quo pacto libellus im. Chr. annis et aetati Thomae de K. repugnet. Hic lector veritatis amans primitus sibi revocet in memoriam, quae paulo supra dixeramus de educatione ac studiis Thomae Kempensis: quod nimirum adhuc in fundamentalibus sive grammaticis haerens literis primum anno 1398. inter viginti scholares seculares sibi similes didicerit scribere et sacram scripturam legere; deinde monasterium ingrediens monasterium fere non invenerit, sed aream potius plenam lignis, lapidibus, arena, calce, operariis, fabris, caementariis, lignariis, baiulis, monasterium sine ecclesia, sine sacrario, sine refectoriis, sine culina et cellario, quae omnia primum a fratre suo germano exaedificata Thomas ipse, ut audivimus, commemorat. Repetat animo, quid inter haec plus quam sexennio in omni genere laborum et exercitationum probatus et humiliatus studere, legere vel descriptione librorum prodesse potuerit; quodque anno demum 1406. investitus sequenti ad professionem admissus fuerit; atque hinc coniecturam faciat, an possibile fuerit tironem et iuvenem adeo rudem necdum in spiritualibus satis exercitatum, immo discipulum ac novi-

tium, tam repente magistrum seu doctorem fieri, opus tantae maturitatis et iudicii (quale est libellus de im. Chr.) forte necdum habita cella quieta et particulari inter tot opifices, malleos et clamores scribere vel moliri.

37. Mense Junio an. 1407. adhuc erat novitius. Igitur ante hunc annum non composuit nec primum quidem libellum imitationis ipso teste Werlino, qui fol. 132. V. V.: «Putas, inquit, unius mensis novitios operam dare componendis libris et non potius discere, quae olim sint scripturi? Putas primo semestri tales fieri, quorum doctrina utantur magni doctores? O hebetes, qui talia credunt». Nec subsistit, quod ait idem fol. 231., Thomam primum libellum elaborasse vel ante vel proxime post professionem. Non ante; reclamat enim ipsissimus ille libellus, quo non magis alios quam se ipsum Thomas exstimulat ad emendationem vitae, ait Werlinus ibidem, reclamat, inquam, lib. I. c. 22. n. 7. his verbis: Bene opus esset, quod adhuc iterum institueremur tamquam boni novitii ad mores optimos. Si forte spes esset de aliqua futura emendatione et maiori spirituali profectu, an fuit novitius, qui scripsit opus esse ut iterum fieret novitius? An, qui fere per octennium sexcentis exercitationibus et humiliationibus fuerat agitatus, tam subito inter novitios iterum redigi optavit? O hebetes qui talia credunt! Non proxime post professionem. Auctor enim primi libri (quem sibi ipsi composuisse ad monitiones ad vitam spiritualem utiles et ceteros libros, qui nunc de imit. Chr. inscribuntur, affirmat Werlinus fol. 233. V. V.) scribit se tunc temporis multorum annorum professum extitisse: «Modo e contrario, inquiens c. 11. n. 5., saepe sentimus, ut meliores et puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus, quam post multos annos professionis», ubi se ipsum exclusisse dicant opponentes; nihil superest, nisi probent. Et cap. 25. n. 6.: Memor esto arrepti propositi et imaginem tibi propone Crucifixi; bene verecundari potes inspecta vita Jesu Christi, quia necdum magis illi te conformare studuisti, licet diu in via Dei fuisti». Ubi per viam Dei intelligitur status religiosus, status hominis mundo mortui et cum Christo crucifixi. Prout eadem phrasi loquendi usus est Thomas a Kempis serm. 8. ad nov. p. 1. n. 2.: Nolite fratres, inquiens, ideo superbire, quod multa scistis aut legistis aut quod diu in via dei et religione fuisti.

38. Porro omnes quattuor libellos de im. complectens Guilel. Eisengreinius (ut eum citat Heserus fol. 219.) ait Thomam eos absolvisse anno 1407. et Werlinus fol. 62. eum scribere potuisse intra annum 30. aetatis suae, qui erat Christi 1409.; verum reclamant eadem, reclamat toto pectore liber IV., ubi c. 3. n. 3. auctor se sacerdotem fuisse claris verbis pronuntiat: «Et licet, inquiens, omni die non sim aptus nec ad

celebrandum bene dispositus» etc. Et cap. 11. n. 8.: «Adiuvet nos gratia tua omnipotens deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus» etc. Eadem firmat c. 2. 5. 6. 9. 7. 10. Iam vero Thomas à Kempis annis 1407. 1409. et 1410. ipso iudice Werlino fol. 228. V. V. necdum erat sacerdos. Spondanus et Gordonus non aiunt Thomam hos libros absolvisse vel presbyterum extitisse anno 1412. adeoque fidem non faciunt, quicumque dicunt eos circa annum 1410. a Thoma compositos extitisse. Sed nec Heserus evincit, quando fol. 152. Diopt. scribit: Mihi clarum videtur circa annum 1410. librum I. II. et III. iam perfectos fuisse, quartum accessisse tunc, cum Thomas initiatus est sacerdotio. Presbyterum enim et quidem exercitatum omnes quattuor spirant et quasi convincunt ex ungue leonem illa verba libri III. c. 4. n. 4. «Docet eos terrena despicere et amare coelestia», quae desumpta sunt ex postcommunione dominicae II. adventus missalis Romani, quam soli sacerdotes in ecclesia legunt. Eo sic habet: Repleti cibo spiritualis alimoniae supplices te domine deprecamur, ut huius participatione mysterii doceas nos terrena despicere et amare coelestia; per dominum etc. Demum qua ratione Thomas eodem lib. 3. c. 47. n. 2. se ipsum anno 1410. vel ante tam fervide exhortaretur ad cantandum: scribe, lege, canta, geme, tace etc., cum in monte s. Agnetis tunc temporis cantus ecclesiasticus viguisse non legatur, immo neque chorum ecclesiae in quo canerent habuerint, sed primum anno 1412. (ut habet Thomas in chron. c. 14.) a festo Pentecostes ac deinceps omnes horae canonicae conventualiter in ecclesia nostra recens consecrata, sunt decantatae!

39. Universim vero auctorem horum quattuor librorum virum religiosissimum, hominem maturum, veteranum, presbyterum et in spiritu exercitatissimum (qualis eo tempore Thomas non erat) extitisse, celeberrimi quique scriptores a nobis cap. 3. n. 6. et seqq. ex Hesero relati testantur, quorum nonnulli eum θεοδίδακτον, ut Cornelius a Lapide, Jacobus Corenus, Gallus ord. min. reg. observ., alii insignem spiritus magistrum, ut Heserus ipse fol. 287., alii virum experientissimum, expertum magistrum, magnum magistrum virtutum, ut Jul. Nigronius e soc. Jesu fol. 261. 263. 264., alii prudenti pietate perfusum ac propemodum in abdita dei raptum, ut Barclaius paraenesi ad sectar. lib. 1. c. 8., alii sanctissimum atque sapientissimum, ut tamquam fons paradisi irriget et fecundet animas perfectorum, qui in omni sapientia exercitatos habent sensus, ut Achilles Gagliardus e soc. Jes. libr. de interiori disciplin., alii denique magistrum in rebus dubiis, ut Lud. Granat. in praefatione ad hos libros vocant. Quid etiam aliud, quam veteranum ascetam indicant verba paulo superius adducta ex lib. 1. c. 11. n. 5.: «Saepe sentimus, ut meliores et puriores in initio conversionis nos fuisse inve-

niamus, quam post multos annos professionis». Et illa ibid. c. 22. n. 7.: «Bene opus esset, quod adhuc iterum institueremur tamquam boni novitii» etc. An non patrem spiritualem et conscientiarum expertissimum declarant illa lib. 1. c. 13. n. 6.: «Quidam in principio conversionis suae graviores tentationes patiuntur, quidam autem in fine, quidam vero quasi per totam vitam suam male habent». Iterum lib. 2. c. 9. n. 7.: «Numquam inveni aliquem tam religiosum, qui non interdum habuerit gratiae subtractionem aut non senserit fervoris diminutionem». Ac paulo post eod. num.: «Solet enim sequentis consolationis tentatio praecedens esse signum». Quorum omnium notitia longam exigit experientiam; qui enim non est expertus, quid scit?

40. Rursum, considera mihi quaeso, venerandi senis aureum monitum, lib. III. c. 7. n. 2. 3.: «Qui adhuc novi sunt et imperiti in via domini (qualis tunc erat Thomas), nisi consilio discretorum se regant, faciliter decipi possunt. Quodsi suum sentire magis sequi quam aliis exercitatis credere volunt, erit eis periculosus exitus, si tamen retrahi a proprio conceptu noluerint». Et ibid. c. 57. n. 1.: «Fili, bene etiam consulis et alios nosti roborare verbis, sed cum ad ianuam tuam venit repentina tribulatio, deficis consilio et robore». In senibus consilium. Quis circa annum 1410. legitur unquam in consilium adhibuisse Thomam in literis grammaticum, in religione tironem nuper professum, necdum presbyterum, immo in tota illa congregatione religiosorum usque ad annum 1410. (ut ex eius chronici c. 10. et 12. liquet.) omnium penultimum et antepenultimum? Et quis non potius veteranum religiosum, quam iuvenem Thomam de Kemp. illud monitum sibi ipsi dedisse credat lib. 1. c. 8. n. 1.: «Cum iuvenibus et extraneis rarus esto». An iuvenis iuvenum consortio sibi ipsi interdixit?

41. Denique fac, ut credam, Thomam grammaticum illis iuvenilibus annis iam lectitasse opera s. Hieronymi, opera Senecae, immo et libros Ovidii de amore, quos primo decennio fundationis monasterii s. Agnetis mox habitos et toleratos aut tironibus ad legendum concessos esse nego pernegoque meliora de tam sancto collegio praesumens. Primi tamen ipsissima sententia ex epist. 7. lib. 2. ad Heliodor. recitatur libr. 1. de im. Chr. c. 24. n. 6.; secundus allegatur eod. lib. c. 20. n. 2. ex epist. 7.; ex tertii libro 1. de remediis amoris citatur integrum distichum ibid. c. 13. n. 5. Nempe in tam spiritualem virum subito evasit Thomas ex lectione Ovidii de amore et epistolis Senecae, quas si intellexit, multum est. Ex quibus omnibus postremo concludimus, aureum hunc de imit. libellum contradicere et repugnare annis, literaturae et aetati Thomae a K. a Frontone, Werlino, Hesero aliisque ad compositionem illius attributae. Quem, si deinceps tardius adeoque

post sacerdotium scripsisse dixerint, legitimis illius aetatis testibus ac tabulis vel convincentibus rationibus nos doceant necesse erit; argumentum enim a potentia ad actum vel inutile non admittimus, et ne admittamus, altiores scholae ipseque Werlinus serio nos monent.

Motivum quartum.

Impossibile est moraliter hominem iuvenem in religione tironem et necdum presbyterum tot centenis vicibus loqui verbis s. scripturae tamquam suis.

1. Sacrae scripturae sententiis usque adeo respersus est libellus de im. Chr., ut olim, dum adhuc (ut par est auctore latente) sine nominis inscriptione passim circumferretur, nonnisi gravissimis et in s. scriptura exercitatissimis theologis ac patribus adscriberetur ab iis, qui nomen auctoris libenter operi praefixum vidissent; quo factum, ut ab aliis s. Bonaventurae, ab aliis Joanni Gersoni, cancellario Parisiensi, ab aliis Davidi de Augusta ord. minor., ab aliis Joanni Nyder ord. eiusdem (prout hodieque in bibliotheca celeberrimi monasterii montis s. Andex ord. s. Bened. in Bavaria servatur in vetusto codice «liber primus de im. Chr.», in cuius fine his verbis subscripsit antiquarius: «Finis huius tractatus reverendi magistri Joannis Neyder, professoris s. Theologiae»), ab aliis denique non observata citatione s. Francisci nondum nati lib. 3. c. 50. tribueretur s. Bernardo abbati Claraevallensi, sub cuius nomine etiam publicis typis editus Brixiae prodierat anno 1489. unoquoque id nominis libro anonymo adscribente, quod vel favor vel divinatio suggerebat operi sustinendo fere sufficiens. Ubi obiter observes velim, lector, hunc libellum iam olim ante centum sexaginta annos tantae antiquitatis existimatum fuisse ut dignus aevo s. Bernardi et Bonaventurae censeretur praeiretque 200 et amplius annis aetatem Thomae de Kempis, cuius tamen nomen quidam errore persuasi, fronti operis affixere, tantae moli ferendae prorsus impar. Quaenam enim ratio suadet, ut credam adolescentem, qui anno 1398., aetatis 19. Daventriae primum scribere et sacram scripturam legere didicit, sequenti octennio inter tot operas surgentis monasterii aliaque innumera, quae supra memoravimus, sine publico ss. literarum exercitio tantum otii bibliis legendis et quodammodo ediscendis indulgere potuisse, ut mox anno 1406. ac deinceps ipsissimis sacrae scripturae verbis veluti suis continuo scriptionis filo ex tempore uteretur et plus quam trecenties quadragies verba formalia huic libello inferret? Habent in hoc genere, quod agam, doctissimi quique theologi, qui integrum decennium

vel vicennium in assiduis lectionibus, interpretationibus, concionibus vel exhortationibus consumpserunt, ut hoc demum assequantur, quod isti tribuunt Thomae rudi grammatico, homini iuveni inexercitato, in religione tironi.

2. Non ignoro ipsum in suismet opusculis itidem saepius s. scripturae allegationibus uti. At ea ante annum 1420. scripsisse doceri nequit, immo pleraque crescentibus annis post absolutos describendo quattuor bibliorum tomos et missale, primum composuisse ex ipsis libellis facile monstratu est; eum in primo iuventutis flore et in hoc solummodo libello componendo (nam primum partum fateantur oportet) repente summum evasisse proprieque loquendo theodidactum et a deo immediate inspiratum fuisse, praeterquam quod probare debeant, credibile non est, cum nihil in hoc opere contineatur, quod a veterano et religioso viro cum ordinario dei concursu scribi non potuerit. Et non inferius c. 12., ubi Antverpiense autographum (ut vocant) examinabimus, Thomam θεοδίδακτον nequaquam extitisse clare deducemus. Interim, quotus quisque est, qui libellum hunc aureum per capita evolvens tantam in s. scriptura V. ac. N. T. peritiam observet; ea proinde ut omnibus innotescat, omnes et singulas sententias, quae sive in actu exercitato sive signato in hoc libello allegantur (si tamen oculos nulla fugit), hic sub aspectum proponemus, iudicium de auctore prudenti lectori libentissime relicturi.

3. Citationes et allusiones s. scripturae in quattuor libellis de im. Chr. contentae.

Libro primo.

Cap. 1. n. 1. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Joan. 8. 12. — n. 2. Absconditum ibi manna inveniret. Apoc. 2. 17. — n. 3. Vanitas vanitatum et omnia vanitas. Eccles. 9. 12. — n. 5. Non satiatur oculus visu nec auris auditu. Eccles. 1. 8.

Cap. 2. n. 3. Noli altum sapere. Rom. 11. 20.

Cap. 3. n. 2. Et hoc est principium, quod loquitur nobis. Joa. 8. 25. — n. 6. Omnia terrena arbitratur ut stercora, ut Christum lucri faciat. Philip. 3. 8.

Cap. 5. n. 2. Veritas domini manet in aeternum. Psalm. 116. 2. — Ibid. Nec displiceant tibi parabolae seniorum, sine causa enim non proferuntur. Eccles. 8. 11.

Cap. 7. n. 1. Qui humiles adiuvat et de se praesumentes humiliat. Judith 6. 15.

Cap. 11. n. 4. Si niteremur sicut viri fortes stare in proelio, profecto auxilium domini super nos videremus de coelo. 2. Paralip. 20. 17.

Cap. 12. n. 2. Ut possit dissolvi et esse cum Christo. Phil. 1. 23.

Cap. 13. n. 1. Tentatio est vita hominis super terram. Job. 7. 1. — Ibid. Diabolus numquam dormitat, sed circuit quaerens, quem devoret. 1. Petr. 5. 8. — n. 5. Ignis probat ferrum et tentatio hominem iustum. Eccli. 31. 31. — n. 7. Faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. 1. Cor. 10. 13. — Ibid. Humiles spiritu salvabit. Ps. 33. 19. — Ibid. Humiliemus animas nostras sub potenti manu Dei. Judith 8. 16; 1. Petr. 5. 6.

Cap. 16. n. 4. Discamus alter alterius onera portare. Gal. 6. 2.

Cap. 17. n. 1. Oportet te stultum fieri propter Christum. 1. Cor. 3. 18. — n. 3. Hic probantur homines, sicut aurum in fornace. Sap. 3. 6.

Cap. 18. n. 2. Animas suas in hoc mundo oderunt, ut in vitam aeternam possiderent eas. Joa. 12. 25.

Cap. 19. n. 2. Nec est in homine via eius. Jerem. 10. 23. — n. 7. Gloriae, quae revelabitur in nobis. Rom. 8. 18. — Ibid. Beatus servus, quem cum venerit dominus, invenerit vigilantem; amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Luc. 12. 43.

Cap. 20. n. 2. Oportet eum cum Jesu a turba declinare. Joa. 5. 13. — n. 5. In cubilibus vestris compungimini. Ps. 4. 5. — n. 7. Transit mundus et concupiscentia eius. 1. Joan. 2. 17.

Cap. 21. n. 6. Ciba me domine pane lacrimarum et potum da mihi in lacrimis in mensura. Ps. 79. 6.

Cap. 22. n. 3. De necessitatibus meis erue me domine. Ps. 24. 17. — n. 5. Oportet te transire per ignem et aquam, antequam venias in refrigerium. Ps. 65. 12. — Ibid. Donec transeat iniquitas haec et mortalitas absorbeatur a vita. Ps. 56. 2; 2. Cor. 5. 4.

Cap. 23. n. 3. Hora, qua non putatur, filius hominis venturus est. Luc. 12. 40. — n. 5. Nunc dies salutis, nunc tempus acceptabile. 2. Cor. 6. 2. — n. 8. Fac nunc tibi amicos venerando Dei sanctos et cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in aeterna tabernacula. Luc. 16. 9. — n. 9. Serva te tamquam peregrinum et hospitem super terram etc. quia non habes manentem hic civitatem. Hebr. 11. 13. et Hebr. 13. 14.

Cap. 24. n. 4. Tunc isti stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Sap. 1. 5. — n. 5. Omnis iniquitas oppilabit os suum. Ps. 106. 42. — n. 7. Omnia ergo vanitas praeter amare Deum et soli illi servire. Eccl. 9. 12.

Cap. 25. n. 1. Ad quid venisti. Math. 26. 50. — Ibid. Nec erit tunc amplius timor aut dolor in finibus nostris. Levit. 26. 6; Apoc. 21. 4. — n. 2. Quae esset voluntas Dei bene placens et perfecta. Rom. 12. 2. — n. 3. Spera in domino et fac bonitatem et inhabita terram et pasceris in divitiis eius. Ps. 36. 3. — n. 10. In Deo, qui est omnia in omnibus. Coloss. 3. 11.

4. Libro secundo.

Cap. 1. n. 1. Regnum Dei intra vos est. Luc. 17. 21. — Ibid. Est enim regnum Dei pax et gaudium in spiritu sancto. Rom. 14. 17. — Ibid. Omnis gloria et decor ab intra est. Ps. 44. 13. — n. 2. Si quis diliget me, sermonem meum servabit et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Joan. 14. 29. — n. 3. Non habes hic manentem civitatem. Hebr. 13. 14.

Cap. 5. n. 1. Modicum lumen est in nobis. Joa. 12. 35.

Cap. 6. n. 1. Suaviter requiesces, si cor tuum te non reprehenderit. 1. Joa. 3. 21. — Ibid. Noli laetari, nisi cum beneficeris. Proverb. 2. 14. — Ibid. Non est pax impiis, dicit Dominus. Isai. 48. 18. — n. 2. Sic enim gloriari, est gloriari in cruce Domini. Gal. 6. 14. — n. 3. Homo videt in facie, Deus autem in corde. 1. Reg. 16. 7. — n. 4. Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. 2. Cor. 10. 18.

Cap. 7. n. 2. Omnis caro foenum et omnis gloria eius ut flos foeni cadet. Isai. 40. 6.

Cap. 8. n. 1. Quando Martha illi dixit: Magister adest et vocat te. Joa. 11. 28. — n. 5. Si vis vacare et videre, quam suavis sit Dominus. Ps. 45. 11.

Cap. 9. n. 5. Ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum. Ps. 29. 7. — Ibid. Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus. Ps. 29. 8. — Ibid. Ad te Domine clamabo et ad Deum meum deprecabor. Ps. 29. 9. — Ibid. Convertisti planctum meum in gaudium mihi et circumdedisti me laetitia. Ps. 29. 12. — Ibid. Visitas eum diluculo et subito probas illum. Job. 7. 18. — n. 7. Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitae. Apoc. 2. 7.

Cap. 10. n. 4. Gloriam ab invicem non quaerunt. Joa. 5. 44.

Cap. 11. n. 1. Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis. Luc. 24. 35. — Ibid. Sed pauci usque bibendum calicem passionis. Mat. 10. 38. — n. 4. Procul et de ultimis finibus pretium eius. Proverb. 31. 10. — Ibid. Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Cant. 8. 7. — n. 5. Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Luc. 17. 10. — Ibid. Quia unicus et pauper sum ego. Ps. 24. 16.

Cap. 12. n. 1. Abnega temetipsum, tolle crucem tuam et sequere Jesum. Mat. 16. 24. — Ibid. Discite a me maledicti in ignem aeternum. Mat. 25. 41. — Ibid. Non timebunt ab auditione aeternae damnationis. Ps. 111. 7. — Ibid. Hoc signum crucis erit in coelo, cum dnus. ad iudicandum venerit. Mat. 24. 30. — n. 2. Tolle crucem tuam et sequere Jesum. Mat. 16. 24. — Ibid. Praecessit ille baiulans sibi crucem. Joa. 19. 17. —

n. 6. Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam. Luc. 24. 26. — n. 9. Corpus castigare et servitute subicere. 1. Cor. 9. 27. — n. 10. Non est remedium evadendi a tribulatione malorum et dolore. Ps. 106. 39. — Ibid. Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam. Rom. 8. 18. — n. 12. Si raptus fueris usque ad tertium coelum cum Paulo. 2. Cor. 12. 2. — Ibid. Ego ostendam illi, quanta oportet eum pro nomine meo pati. Actor. 9. 16. — n. 15. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem etc. Mat. 16. 24. — Ibid. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Actor. 14. 21.

5. Libro tertio.

Cap. 1. n. 1. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Ps. 84. 9. — Ibid. Ut possis audire, quid in te loquatur Dominus Deus. Ibidem. — n. 2. Salus tua ego sum. Ps. 34. 3.

Cap. 2. n. 1. Loquere Domine, quia audit servus tuus. 1. Reg. 3. 9. — Ibid. Servus tuus sum ego; da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Ps. 118. 125; 34. — Ibid. Inclina cor meum in verba oris tui, fluat ut ros eloquium meum. Ps. 77. 1; Deuter. 32. 2. — Ibid. Loquere tu nobis et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Ex. 20. 19. — Ibid. et n. 3. Magis cum Samuele obsecro: Loquere Domine, quia audit servus tuus; non loquatur mihi Moyses. 1. Reg. 3. 10. — n. 3. Verba enim vitae aeternae habes. Joa. 6. 69.

Cap. 3. n. 1. Verba mea spiritus et vita sunt. Joa. 6. 64. — Ibid. vel n. 3. Beatus, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum. Ps. 93. 12. — n. 2. vel 3. Erubesce Sydon, ait mare. Isai. 23. 4. — n. 4. vel 5. Qui habet verba mea et spernit ea, habet, qui iudicet eum in nov. Joa. 12. 48. — n. 5. vel 6. Reminescere miserationum tuarum. Ps. 24. 6. — n. 6. vel 7. Noli avertere faciem tuam a me. Ps. 101. 3. — Ibid. Ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ps. 142. 6. — Ibid. Doce me facere voluntatem tuam. Ps. 142. 10.

Cap. 4. n. 1. Fili ambula coram me in veritate et in simplicitate cordis tui quaere me semper. Gen. 17. 1; Sap. 1. 1. — n. 4. Noli scrutari opera altissimi. Eccli. 11. 4.

Cap. 5. n. 1. Pater misericordiarum et deus totius consolationis. 2. Cor. 1. 3.

Cap. 6. n. 4. Jesus mecum erit tamquam bellator fortis. Jerem. 20. 11. — Ibid. Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo. Ps. 26. 1. — Ibid. Si constituant adversus me castra, non timebit cor meum. Ps. 26. 3. — Ibid. Dominus adiutor meus et redemptor meus. Ps. 18. 15.

Cap. 7. n. 2. Non est in potestate hominis via eius. Jerem. 10. 23.

Cap. 8. n. 1. Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis et pulvis. Gen. 18. 27.

Cap. 9. n. 3. Nemo bonus, nisi solus Deus. Luc. 18. 19.

Cap. 10. n. 1. Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te. Ps. 30. 20.

Cap. 12. n. 3. vel 4. Quemadmodum fumus deficient abundantes in seculo. Ps. 36. 20; 72. 12. — n. 2. Propter modicum corruptibilis vitae delectamentum. 2. Maccab. 6. 25. — Ibid. Tu ergo fili, post concupiscentias non eas. Eccl. 18. 30. — Ibid. Delectare in domino et dabit tibi petitiones cordis tui. Ps. 36. 4. — n. 5. Ecce in contemptu omnium mundanorum erit benedictio tua. Gen. 27. 39.

Cap. 13. n. 3. Pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo. 1. Reg. 24. 11.

Cap. 14. n. 1. Coeli non sunt mundi in conspectu tuo. Job. 15. 15. — Ibid. Si in angelis reperisti pravitatem, quid fiet de me. Job. 4. 18. — n. 4. Numquid gloriabitur lutum contra formantem se? Isai. 45. 9. — In fine: Veritas autem Domini manet in aeternum. Ps. 116. 2.

Cap. 15. n. 3. Concede mihi gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret. Sap. 9. 10. — In fine: In hac pace in idipsum dormiam et requiescam. Ps. 4. 9.

Cap. 16. n. 2. Quorum conversatio est in coelis. Phil. 3. 20. — In fine: Non enim in perpetuum irasceris nec in aeternum comminaberis. Ps. 102. 9.

Cap. 20. n. 1. Confitebor adversum me iniustitiam meam. Ps. 31. 5. — n. 2. Eripe me de luto, ut non infigar. Ps. 68. 15. — n. 3. Fortissime Deus Israel, zelator animarum. Gen. 33. 20; Exod. 20. 5. — n. 4. Trahunt ad amorem mundi desiderium carnis, desiderium oculorum et superbia vitae. 1. Joa. 2. 16.

Cap. 21. n. 3. Quis mihi det pennas ad volandum et pausandum in te. Ps. 54. 7. — Ibid. Vacare et videre, quam suavis est Domine Deus meus. Ps. 45. 11. — n. 5. vel 7. Sis benedictus dne., qui fecisti hanc bonitatem cum servo tuo. Ps. 118. 65. — Ibid. Secundum multitudinem misericordiae tuae. Ps. 105. 45.

Cap. 22. n. 1. Aperi domine cor meum in lege tua et in praeceptis tuis. 2. Mac. 1. 4. — n. 4. Testes sunt ipsi Apostoli tui, quos principes super omnem terram constituisti. Ps. 44. 17. — Ibid. Ut etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo. Actor. 5. 41.

Cap. 23. n. 3. vel 5. Ne elongeris a me; Deus meus in auxilium meum respice. Ps. 70. 12. — n. 3. vel 6. Ego ante te ibo et gloriosos terrae humiliabo. Isai. 45. 2. — n. 4. vel 8. Fiat pax in virtute tua et abundantia laudis tuae resonet in aula sancta tua. Ps. 121. 7. — Ibid. Dic mari: quiesce, et aquiloni: ne flaveris, et erit tranquillitas magna.

Marc. 4. 39. — n. 5. vel 9. Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Ps. 42. 3. — Ibid. Ut luceant super terram, quia terra sum inanis et vacua. Gen. 1. 2. et 17. — Ibid. Ministra devotionis aquas ad irrigandam faciem terrae. Gen. 2. 6. — Ibid. Ad producendum fructum bonum et optimum. Luc. 8. 15.

Cap. 24. n. 1. Quid hoc vel illud ad te? Tu me sequere. Joan. 21. 22.

Cap. 25. n. 1. Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis, Joan. 14. 27. — n. 3. Spes indubitata erit, quod rursus in jubilo faciem meam sis visurus. Job. 33. 26.

Cap. 27. n. 4. Quia nihil permanens sub sole. Eccl. 2. 11. — Ibid. Ubi omnia vanitas et afflictio spiritus. Eccle. 1. 14.

Cap. 29. n. 1. Sit nomen tuum benedictum in secula. Tob. 3. 23. — Ibid. Et nunc pater dilecte, quid dicam? Salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam, ut tu clarificeris. Joan. 12. 27. — Ibid. Complaceat tibi Domine, ut eruas me. Ps. 39. 14. — n. 2. Oportet utique, ut sustineam, donec transeat tempestas. Ps. 56. 2. — Ibid. Deus meus, misericordia mea. Ps. 58. 18. — In fine: Tanto tibi facilior est haec mutatio dexterae excelsi. Ps. 76. 11.

Cap. 30. n. 1. Fili, ego Dominus confortans te in die tribulationis. Nahum. 1. 7. — n. 2. Sufficit diei malitia sua. Math. 6. 34. — n. 3. Neque ergo turbetur cor tuum neque formidet, crede in me. Joa. 14. 1. et 27. — n. 5. Meum est omne datum bonum et omne donum perfectum. Jacob. 1. 17. — n. 6. Debes hoc unum reputare gaudium, quod affligens te doloribus non parco tibi. Job. 6. 10. — Ibid. Sicut dilexit me pater, et ego vos diligo. Joan. 15. 9. — Ibid. Ad afferendum fructum multum in patientia. Luc. 8. 15.

Cap. 31. n. 1. Quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo et requiescam. Ps. 54. 7. — n. 4. Omnis quippe caro corruperat viam suam et ideo sequebatur diluvium magnum. Gen. 6. 12.

Cap. 32. n. 2. Suadeo tibi a me emere aurum ignitum, ut locuples fias. Apoc. 3. 18. – n. 3. Ipsa tamen est pretiosa margarita a multis abscondita. Mat. 13. 46.

Cap. 33. n. 2. Sic Judaei olim venerant in Bethaniam ad Martham et Mariam, non propter Jesum tantum, sed et ut viderent Lazarum. Joan. 12. 9.

Cap. 34. n. 3. Fulgura coruscationem de sublimi. Ps. 143. 6. — Ibid. Vetus homo adhuc concupiscit adversus spiritum. Gal. 5. 17. — n. 4. Tu qui dominaris potestati maris et motum fluctuum eius mitigas. Ps. 88. 10. — Ibid. Dissipa gentes, quae bella volunt, contere eas in virtute tua. Ps. 67. 31.

Cap. 35. n. 1. Semper arma spiritualia sunt tibi necessaria; a dextris et a simistris impugnaris. 2. Cor. 6. 7. — Ibid. Vincenti datur manna et torpenti relinquitur multa miseria. Apoc. 2. 7. — n. 3. Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam promovendam. Rom. 8. 18. — Ibid. Exspecta Dominum, viriliter age et confortare. Ps. 26. 14. — In fine: Ego tecun ero in omni tribulatione. Ps. 90. 15.

Cap. 36. n. 1. Et si Paulus omnibus studuit in Domino placere, et omnibus omnia factus est. 1. Cor. 9. 22. — Ibid. Etiam pro minimo duxit, quod ab humano die iudicatus fuit. 1. Cor. 4. 3. — n. 2. Contra ora loquentium iniqua se defendit. Ps. 62. 12. — n. 3. Hodie est et cras non comparet. 1. Maccab. 2. 63. — Ibid. Nec poterit iudicium Dei effugere, quicumque est ille. Galat. 5. 10. — Ibid. Noli contendere verbis. 2. Tim. 2. 14. — In fine: Potens sum unicuique reddere secundum opera sua. Rom. 2. 6.

Cap. 37. n. 3. Et tenebrae non conculcabunt te. Ps. 138. 11.

Cap. 38. n. 1. Non servus nec emptitius, sed magis exemptus verusque Hebraeus in sortem ac libertatem transiens filiorum Dei. Rom. 8. 21. — n. 2. Si mox in qualibet causa intras cum Moyse in tabernaculum ad consulendum Dominum. Num. 7. 89. — Ibid. Propterea namque Josue et filii Israel a Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini prius non interrogaverunt. Josu. 9. 14.

Cap. 39. fin. Vigilate et orate, dicit dnus., ut non intretis in tentationem. Math. 26. 41.

Cap. 40. n. 1. Domine, quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum. Ps. 8. 5. — n. 2. Tu autem Domine semper idem ipse es. Ps. 101. 28. — Ibid. Quia septem tempora mutantur super me. Dan. 4. 13. et 22. — Ibid. Ut vultus meus amplius in diversa non mutetur. 1. Reg. 1. 18. — n. 5. Pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. 1. Cor. 12. 5. — n. 6. Quaerant Judaei gloriam, quae ab invicem est. Joan. 5. 44.

Cap. 43. n. 1. Non est enim regnum Dei in sermone, sed in virtute. 1. Cor. 4. 20. — n. 2. Et tunc scrutabitur Jerusalem in lucernis. Sophon. 1. 12. — Ibid. Manifesta erunt abscondita tenebrarum. 1. Cor. 4. 5. — In fine: Distribuens singulis, sicut dignum iudicavero. 1. Cor. 12. 11.

Cap. 44. n. 1. Cui totus mundus crucifixus sit. Gal. 6. 14.

Cap. 45. n. 1. Da mihi auxilium Domine de tribulatione, quia vana salus hominis. Ps. 107. 13. — n. 2. Praeter te non est alter talis. Judith. 9. 19. — n. 3. Omnis homo mendax. Ps. 115. 11. — n. 4. Quam prudenter praemonuisti cavendum ab hominibus. Math. 10. 17. — Ibid. Et quia inimici hominis domestici eius. Math. 10. 36. — Ibid. Nec credendum, si quis

dixerit: Ecce hic aut ecce illic. Luc. 17. 21. — n. 5. Nec omni vento verborum circumfieri. Ephes. 4. 14. — In fine: In hac fragili vita, quae tota tentatio fertur et militia. Job. 7. 1.

Cap. 46. n. 3. A me exiit istud, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Luc. 2. 35. — n. 4. Intus enim non conturbabitur, quidquid a Deo ei acciderit. Prov. 12. 21. — Ibid. Ego sum scrutans corda et renes. Ps. 7. 10. — n. 5. Deus, iudex iuste, fortis et patiens. Ps. 7. 12. — In fine: Et si nihil mihi conscius sum, tamen in hoc me iustificare non possum. 1. Cor. 4. 4. — Ibid. Remota misericordia tua non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. 142. 2.

Cap. 47. n. 2. Quis me liberabit de corpore huius mortis? Rom. 7. 24. — Ibid. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Ps. 119. 5. — Ibid. Quoniam praecipitabitur mors. Isai. 25. 8.

Cap. 48. n. 2. Dies huius temporis parvi et mali. Gen. 47. 9. — Ibid. Quando memorabor Domine tui solius. Ps. 70. 16. — Ibid. Quando eris mihi omnia in omnibus. Coloss. 3. 11. — Ibid. In regno tuo, quod praeparasti dilectis tuis ab aeterno. Math. 25. 34. — n. 4. Si ego infelix homo factus sum mihimetipsi gravis. Job. 7. 20. — n. 5. Deus meus ne elongeris a me. Ps. 70. 12. — Ibid. Neque declines in ira a servo tuo. Ps. 26. 9. — Ibid. Fulgura coruscationem et dissipa eos; emitte sagittas tuas et conturbentur omnes phantasiae inimici. Ps. 143. 6. — n. 6. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Math. 6. 21

Cap. 49. n. 4. Confortare igitur et esto robustus. Jos. 1. 6.

Cap. 50. n. 1. Pauper sum et in laboribus a iuventute mea. Ps. 8. 16. — n. 2. Quia non est illi sicut heri et nudius tertius. Gen. 31. 5. — Ibid. Sub umbra alarum tuarum protegebatur. Ps. 16. 8. — n. 4. Bonum mihi Domine, quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Ps. 118. 71. — Ibid. Utile mihi, quod confusio cooperuit faciem meam. Ps. 68. 8. — Ibid. Qui affligis iustum cum impio. Eccl. 9. 2. — n. 5. Qui percutis et sanas, deducis ad inferos et reducis. 1. Rom. 2. 6. — Ibid. Disciplina tua super me et virga tua ipsa me docebit. Ps. 22. 4. — n. 7. Non me sinas secundum visionem oculorum exteriorum iudicare, neque secundum auditum aurium hominum imperitorum sententiare. Isai. 11. 3.

Cap. 51. In fine: Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram etc. Rom. 8. 18.

Cap. 52. n. 1. Ad ostendendum divitias bonitatis tuae in vasa misericordiae. Rom. 9. 23. — n. 3. Sine me paululum, ut plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. Job. 10. 20. — n. 4. Hoc sacrificium est gratum etiam unguentum, quod sacris pedibus tuis infundi voluisti. Joan. 12. 3. — Ibid. Cor contritum et humiliatum numquam despexisti. Ps. 50. 19.

Cap. 53. n. 1. Sic obsecrat b. apost. Petrus, ut tamquam advenas et peregrinos in hoc mundo se contineant Christi fideles. 1. Petr. 2. 11. — n. 3. Oportet viriliter incipere et securim ad radicem ponere. Math. 3. 10. — Ibid. Ut evellas et destruas. Jerem. 1. 10.

Cap. 54. n. 2. Gratia propter Deum omni humanae creaturae parata est inclinari. 1. Petr. 2. 13. — n. 3. Gratia autem gaudet pro nomine Jesu pati contumeliam. Act. 5. 41. — n. 3. Gratia vero vacua esse non potest. 1. Cor. 15. 10. — n. 4. Gratia beatius dare iudicat quam accipere. Act. 20. 35.

Cap. 55. n. 1. Sentio in carne mea legem peccati, contradicentem legi mentis meae et captivum me ducentem ad obediendum sensualitati. Rom. 7. 23. — n. 2. Ad malum semper prona ab adolescentia sua. Gen. 8. 21. — n. 3. Condelector legi tuae secundum interiorem hominem. Rom. 7. 22. — Ibid. Carne autem servio legi peccati. Rom. 7. 25. — Ibid. Velle bonum mihi adiacet, perficere autem non invenio. Rom. 7. 18. — n. 4. Omnia autem possum in te, confortante me gratia. Phil. 4. 13. — n. 5. Obsecro Domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis. Gen. 18. 3. — Ibid. Sufficit enim mihi gratia tua. 2. Cor. 12. 9.

Cap. 56. n. 1. Ego sum via, veritas et vita. Joan. 14. 6. — n. 2. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Math. 19. 17. — Ibid. Si vis perfectus esse, vende omnia. Math. 19. 21. — Ibid. Si vis esse discipulus meus, abnega temetipsum. Luc. 9. 23. — Ibid. Non enim maior est servus domino suo, nec discipulus super magistrum. Math. 10. 24. — n. 4. Qui habet mandata mea et servat ea, ipse est, qui diligit me; et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. Joan. 14. 21. — Ibid. Faciam eum consedere mecum in regno patris mei. Apoc. 3. 21.; Math. 26. 29. — n. 5. Simus parati fortiter mori in bello nec inferamus crimen gloriae nostrae. 1. Macc. 9. 10.

Cap. 57. n. 4. Verbum tuum dulce super mel et favum ori meo. Ps. 18. 11.

Cap. 58. n. 1. Justus es domine et rectum iudicium tuum. Ps. 118. 137. — Ibid. Judicia domini vera et iustificata in semetipsa. Ps. 18. 10. — n. 2. Noli etiam inquirere, quis maior fuerit in regno coelorum. Math. 18. 1. — n. 8. Mittebant coronas suas ante Deum. Apoc. 4. 10. — Ibid. Ceciderunt in facies suas coram agno et adoraverunt viventem in secula seculorum. Apoc. 5. 14. — n. 9. Omnes filii Dei vocabuntur et erunt. Math. 5. 9. — Ibid. Minimus erit in mille. Isai. 60. 22. — Ibid. Et peccator centum annorum morietur. Isai. 65. 20. — Ibid. Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic maior est in regno coelorum. Math. 18. 3. et 4. — In fine: Gaudete

humiles et exultate pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Math. 5. 12; Luc. 6. 20.

Cap. 59. n. 1. Cuius misericordiae non est numerus. Ps. 146. 5. — n. 2. Omnes, quae sua sunt, quaerunt, tu salutem meam. Phil. 2. 21. — n. 4. Ad te sunt oculi mei, in te confido. Ps. 140. 8; Ps. 24. 1. — Ibid. Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ps. 68. 17.

6. Libro quarto.

In prooem.: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Math. 11. 28. — Ibid. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Joa. 6. 52. — Ibid. Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur etc. Math. 26. 26. — Ibid. Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Joan. 6. 57. — Ibid. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Joa. 6. 64.

Cap. 1. n. 2. Ecce coeli coelorum te non capiunt et tu dicis: Venite ad me omnes. 3. Reg. 8. 27. — n. 4. Ecce Noë, vir iustus in arcae fabrica centum annis laboravit. Gen. 6. 3. — Ibid. Moyses, famulus tuus, arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam et mundissimo vestivit auro, ut tabulas legis in ea reponeret. Exod. 25. 10. — Ibid. Salomon templum magnificum septem annis aedificavit et octo diebus festum dedicationis eius celebravit, mille hostias pacificas obtulit et arcam foederis in clangore buccinae et iubilo in locum sibi praeparatum sollemniter collocavit. 3. Reg. 6. et seqq. — n. 8. Saltavit devotissimus rex David coram arca Dei totis viribus etc. 2. Reg. 6. 14. — n. 12. Ipse enim est sanctificatio nostra et redemptio. 1. Cor. 1. 30. — In fine: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis. Mat. 11. 28.

Cap. 2. n. 2. Unde hoc mihi, ut venias ad me. Luc. 1. 43. — n. 3. Panem vivum, qui de coelo descendisti et das vitam mundi. Joa. 6. 41. — n. 4. Dixisti enim et facta sunt omnia. Ps. 148. 5.

Cap. 3. n. 1. Quod parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Ps. 67. 11. — Ibid. Laetifica ergo hodie animam servi tui, quoniam ad te domine Jesu animam meam levavi. Ps. 85. 4. — Ibid. Quatenus cum Zachaeo mereas benedici et inter filios Abrahae computari. Luc. 19. 9. — n. 2. Ne forte deficiam in via, si fuero coelesti fraudatus alimonia. Math. 15. 32. — n. 3. Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua. Gen. 8. 21. — n. 4. Sileant a facie tua coelum et terra et omnis ornatus eorum. Gen. 2. 1. — In fine: Cuius sapientiae non est numerus. Ps. 146. 5.

Cap. 4. n. 1. Visita me in salutari tuo. Psalm. 105. 4. — n. 2. et c. 9. n. 1. Domine in simplicitate cordis mei ad

te accedo. 1. Paralip. 29. 17. — n. 3. Tu es ignis iugiter ardens et numquam deficiens. Deut. 4. 25. — n. 5. Ego quidem laboro in sudore vultus mei. Gen. 3. 19. — Ibid. Non est, qui adiuvet, non est, qui liberet et salvum faciat. Ps. 21. 12.

Cap. 5. n. 1. Cui subest omne, quod voluerit. Sap. 12. 18.

Cap. 7. n. 4. Vivo ego, dicit dominus, qui nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur. Ezech. 33. 11. — In fine: Quoniam peccatorum suorum non recordabor amplius. Ezech. 18. 22.

Cap. 8. n. 2. Nisi quis renuntiaverit omnibus, non potest meus esse discipulus. Luc. 14. 33.

Cap. 9. n. 3. Propter nomen sanctum tuum salva animam meam, quam pretioso sanguine redemisti. Ps. 24. 11.; 1. Petr. 1. 19.

Cap. 10. n. 2. Ipse nequam spiritus, ut in Job scribitur, venit inter filios Dei. Job. 2. 1.

Cap. 11. n. 2. Donec aspiret dies aeternae claritatis et umbrae figurarum inclinentur. Cant. 2. 17. — Ibid. Cum autem venerit, quod perfectum est, cessabit usus sacramentorum. 1. Cor. 13. 10. — Ibid. Facie ad faciem gloriam Domini spectantes et de claritate in claritatem. 2. Cor. 13. 18. — n. 4. Posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum. Psalm. 118. 105. — Ibid. Haec possunt etiam dici mensae duae in gazophylacio. 2. Paralip. 4. 19. — n. 7. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Levit. 11. 44.

Cap. 12. n. 1. Para mihi coenaculum grande stratum, ut faciam apud te Pascha cum discipulis meis. Marc. 14. 15. — Ibid. Expurga vetus fermentum. 1. Cor. 5. 7. — Ibid. Sede tamquam passer solitarius in tecto. Ps. 101. 8. — Ibid. Cogita excessus tuos in amaritudine animae tuae. Job. 10. 1.

Cap. 13. n. 1. Quis mihi det, ut inveniam te foris et iam me nemo despiciat. Cant. 8. 1. — n. 2. Vere tu es Deus absconditus et concilium tuum non est cum impiis. Isai. 45. 15. — Ibid. Cum humilibus et simplicibus sermo tuus. Prov. 3. 32. — Ibid. O quam suavis est spiritus tuus domine, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo descendente illos reficere dignaris. Sap. 12. 1. et 16. 21. — Ibid. Vere non est alia natio tam grandis, quae Deos habeat appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster. Deuter. 4. 7. — n. 3. Quae est enim alia gens tam inclyta. Deut. 4. 8.

Cap. 14. n. 1. O quam magna multitudo dulcedinis tuae domine, quam abscondisti timentibus te. Ps. 30. 20. — n. 2. Isti veraciter cognoscunt dominum in fractione panis, quorum cor tam valide ardet in eis de Jesu ambulante cum eis. Luc. 24. 35.

Cap. 15. n. 4. Tunc videbit et affluet et mirabitur et dilatabitur cor eius. Isai. 60. 5. — Ibid. Quia manus domini cum eo. Luc. 1. 66. — Ibid. Ecce sic benedicetur homo, qui quaerit Deum in toto corde suo nec in vanum accipit animam suam. Ps. 127. 4; Ps. 23. 4.

Cap. 16. n. 3. Cum tu sis ignis semper ardens et nunquam deficiens. Exod. 24. 17.

Cap. 17. n. 2. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1. 38. — n. 3. Amicus autem sponsi, qui stat et audit, cum gaudio gaudet propter vocem sponsi. Joan. 3. 29.

Cap. 18. n. 1. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. Prov. 25. 27. — n. 4. Dat intellectum parvulis. Ps. 118. 130. — n. 5. Nec est investigatio mirabilium operum eius. Isai. 40. 28.

7. Hae sunt allegationes et allusiones sacrae scripturae in tam parvo libello de imitat. Chr. contentae, quas absque miraculo, quod doceri debet, a Thoma de Kempis iuvene circa annum dni. 1410. tam copiose illatas esse sine ratione convincente credere nequimus, cum praesumptio sit in contrarium, et verus auctor plane sapiat arcam testamenti, (qualem summus pontifex quandoque s. Antonium de Padua concionantem appellaverat) sapiat, inquam, scribam doctum in regno coelorum, qui similis factus homini patri familias profert de thesauro suo nova et vetera, qualis Thomas a Kempis eo tempore nullo modo fuit.

Motivum quintum.

Auctorem istius libelli fuisse doctissimum theologum, Thomam de Kempis non item demonstratur.

1. Heserus in dioptra Kempensi fol. 303. auctorem aurei nostri libelli inter gravissimos theologos numerat (nec immerito), in hoc solo aberrans, quod opusculum theologo dignum asscribit homini grammatico, qui theologiae operam numquam dedit: «Non solum inter asceticos doctores, inquiens, sed etiam inter gravissimos theologos locum sibi vindicat auctor libelli. R. P. Petrus Braierus, professor meus plurimum observandus, cum anno 1648. celeberrimam illam quaestionem, an praedestinatio fiat sine vel ex praevisis meritis, pertractasset et pro sententia sua (electionem seu praedestinationem ad gloriam esse ante merita absolute praevisa) divum Thomam Scotum, Toletum, Bellarminum, Salmeronem, Suarezium, alios adduxisset, qui veteres magno numero pro se adducunt, subicit: «Inter quos miror non collocari pientissimum virum Thomam de Kempis, qui hanc sententiam etiam plane tenet libr. III. de im. Chr. c. 58.

n. 4., ubi sic loquitur: Ego laudandus sum in omnibus sanctis meis; ego super omnia benedicendus sum et honorandus in singulis, quos sic gloriose magnificavi et praedestinavi sine ullis praecedentibus propriis meritis.» Haec ex Hesero. Theologum sane auctorem fuisse docent illa lib. III. c. 22. n. 3.: «Tu scis, o deus, quid unicuique donari expediat, et cur iste minus, ille amplius habeat; non nostrum, sed tuum est hoc discernere, apud quem singulorum definita sunt merita.» Theologum produnt illa eod. lib. c. 52. n. 1.: «Sed tu clemens et misericors, qui non vis perire opera tua ad ostendendum divitias bonitatis tuae in vasa misericordiae, etiam praeter omne proprium meritum dignaris consolari servum tuum supra humanum modum.»

2. Theologum demonstrat totum caput 55. eiusdem libri, quod quia non adeo prolixum est, oculis hic subiciam: 1. Domine Deus meus, inquit, qui me creasti ad imaginem et similitudinem tuam, concede mihi hanc gratiam, quam ostendisti tam magnam et necessariam ad salutem, ut vincam pessimam naturam meam, trahentem in peccata et ad perditionem! Sentio enim in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis meae et captivum me ducentem ad obediendum sensualitati in multis: nec possum resistere passionibus meis, nisi assistat sanctissima gratia tua cordi meo ardenter infusa. 2. Opus est gratia tua et magna, ut vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua. Nam ea per primum hominem Adam lapsa et vitiata per peccatum in omnes homines poena huius maculae descendit, ut ipsa natura, quae bona et recta a te condita fuit, pro vitio iam et infirmitate corruptae naturae ponatur eo, quod motus eius sibi relictus ad malum et inferiora trahit. Nam modica vis, quae remansit, est tamquam scintilla quaedam latens in cinere. Haec est ipsa ratio naturalis circumfusa magna caligine, adhuc iudicium habens boni et mali, veri falsique distantiam, licet impotens sit adimplere omne, quod approbat, nec pleno iam lumine veritatis nec sanitate affectionum suarum potiatur. 3. Hinc est, Deus meus, quod condelector legi tuae secundum interiorem hominem, sciens mandatum tuum fore bonum, iustum et sanctum, arguens etiam omne malum et peccatum fugiendum. Carne autem servio legi peccati, dum magis sensualitati obedio quam rationi. Hinc est, quod velle bonum mihi adiacet, perficere autem non invenio. Hinc saepe multa bona propono, sed quia gratia deest ad adiuvandum infirmitatem meam, ex levi resistentia resilio et deficio. Hinc accidit, quod viam perfectionis agnosco et qualiter agere debeam, clare satis video, sed propriae corruptionis pondere pressus ad perfectionem non assurgo. 4. O quam maxime est mihi necessaria, domine, gratia tua ad inchoandum bonum, ad proficiendum et

perficiendum! Nam sine illa non possum facere aliquid, omnia autem possum in te confortante me gratia tua. O vere coelestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturae ponderanda! Nihil artes, nihil pulchritudo, nihil divitiae, nihil fortitudo, nihil ingenium, nihil eloquentia valent apud te, domine, sine gratia tua. Nam dona naturae bonis et malis sunt communia, electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio, qua insigniti digni habentur vita aeterna. Tantum eminet haec gratia, ut nec donum prophetiae nec signorum operatio nec quantalibet alta speculatio aliquid aestimetur sine ipsa. Sed neque fides neque spes neque aliae virtutes tibi acceptae sunt sine caritate et gratia. 5. O altissima gratia, quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis et divitem multis bonis humilem corde reddis: veni, descende ad me, reple me mane tua consolatione, ne deficiat prae lassitudine atque ariditate mentis anima mea. Obsecro domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis; sufficit enim mihi gratia tua ceteris non obtentis, quae desiderat natura. Si fuero tentatus et vexatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum fuerit mecum gratia tua. Ipsa fortitudo mea est, ipsa consilium mihi confert et auxilium. Cunctis hostibus potentior est et sapientior universis sapientibus. 6. Magistra est veritatis, doctrix disciplinae, lumen cordis, solamen pressurae, fugatrix tristitiae, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrimarum. Quid sum sine illa, nisi aridum lignum et stirps inutilis ad eiciendum? Tua ergo me, domine, gratia semper et praeveniat et sequatur ac bonis operibus iugiter praestet esse intentum.

3. Vicissim vero Thomam de Kemp. theologum fuisse vel theologiae studuisse unquam nec docent eius opuscula nec memorant eius vitae scriptores, nec educatio vel occasio inter simplicianos prodit. Quid enim? An sola haec barbara vox «theologalis speculatio», qua usus est serm. 6. ad novit. p. 3. n. 2. hominem a schola theologica procul arcet et excludit, ac velut inspecto ungue clamat, nihil huius aquilae volantis adesse. Quis theologus eam in scholis sine risu auditorum proferret? Guilelmus Eisengreinius apud Heserum fol. 219. Diopt. citatus, nescio quo enthusiasmo afflatus Thomam nostrum nominat philosophum insignem, poetam gravem, historicum celeberrimum, theologorum sua aetate nulli secundum. Unde haec sumpserit, viderit ipse; ficta laus, convitium est. Ego nil horum invenio. Non theologum, ut iam dixi, nec Heserus aliunde theologiae accenset, quam ex libello imitationis Christi. At hoc est petere principium et Thomam aliena chlamide vestire. Dicant, ubi, quando theologiae navarit operam: non Daventriae, cum ipse Thomas in vita Florentii (cuius consortio omnem scientiam Thomae

asscribit Rosweydus) c. 23. n. 3. fateatur illum de rebus altis et subtilibus omnino tacuisse; non in monasterio, ubi nulla schola, nullus professor; non extra monasterium. Aut dicant, quibus orbis in oris et unde Thomae tam excellens scientia de gratia et praedestinatione? An coelitus infusa? Infundant huius rei mihi fidem, ut credam.

4. Eadem est ratio de philosophia; magister tamen nominatur apud Werlinum fol. 312. V. V. et Heserum in Diopt. fol. 47. ex catalogo quodam impresso Augustae Vindel. anno 1633. Talis credo magister, qualis praepositus et praelatus canonicorum regular. infra c. 19. n. 2. Verum catalogus hic recentior est, quam ut Thomam creare possit seu philosophiae seu theologiae magistrum, praesertim reclamantem in solil. c. 12. n. 2., ubi ait: «Alius sapientiam, alius potentiam, alius magisterium, alius regale aut principale petit obsequium.» Ac mox n. 3. «Non ergo ad te pertinet, quod isti quaerunt, o anima devota! Profecto nihil; detestor haec omnia»; consequenter et magisterium. Demonstrent ergo prius philosophiam audivisse, quam magistrum vel philosophum insignem proclament aut nominari aequis auribus et oculis tolerent!

5. Etiam historicum celeberrimum praedicat encomiastes; sed unde? Celebris a celebrando dicitur; quis Thomam de Kempis adeo celebrat, ut inde celebris aut celeberrimus historicus nominetur? Stylo barbaro scripsit vitas Gerardi magni, Florentii et discipulorum quorundam Daventriensium, scripsit breve chronicon montis s. Agnetis, quod 70 pagellis seu foliolis comprehensum Hieronymus Verdussius anno 1621. edidit Antverpiae typo minime arcto aut minuto. Vitam s. Lidwinae virginis contraxit, non primus composuit. Praetereaque nihil; si ex his meritus est titulum seu cathedram historici celeberrimi, cum superlativo nihil sit altius, ubi sedebunt scriptores rerum Romanarum, annalium ecclesiasticorum, imperiorum, regnorum, provinciarum, episcopatuum aliarumque rerum pace et bello gestarum, quibus integros tomos et bibliothecas impleverunt?

6. Denique poetam etiam gravem dilaudat Eisengreinius, ipse magis hac in re poeta quam historicus. Et unde Thomas inter poetas? Cantica sex spiritualia brevissima composuit, nullis metricis regulis parentia. Versus quattuor hexametros illi tribuit Sommalius in fine tomi II. opusculorum et Heserus in notis ad vitam ab anonymo scriptam n. 32. Hi sunt:

„Vita boni monachi crux est, sed dux paradisi,
Portat portantem, salvat sua vulnera flentem,
Firmat nutantem, tollit ad aethera mentem,
Vincit tentantem daemonem de coelo cadentem.“

Hem poetam quattuor versibus gravem, quorum primum descripsit ex c. 56. n. 4. lib. III. de im. Chr., secundum

forsitan aliunde, tertium et quartum credo partis esse geminos; quibus prodit se ne procul quidem limina poeseos et prosodiae salutasse.

7. Sed neque in syntaxeos regulis excultum fuisse docent soloecismi, quorum nonnullos c. 6. n. 2. monstravimus; plures dabimus in capite sequenti, sed non omnes. Loquuntur eius opuscula, etiam quae senior composuit; perpetuum cum barbarismis et soloecismis cum Donato et Prisciano bellum gessit. Haec ipsi materia de gratia et praedestinatione. Res in aperto est, quid veritatem occulere volumus? Sed neque tantillum in grammatica assecutus esset, nisi proborum hominum eleemosynis Daventriae educatus victum, amictum ipsumque minerval mendicando obtinuisset. Cuius in tanta parentum inopia fuit parere fortunae, non imperare. Unde sicut nullo suo vitio pauperrimus extitit, sic nulla culpa doctior non evasit. Religionem ingressus inter idiotas idiota non erubuit, sed virtutem (quae sola apud deum in pretio est) strenue sectabatur, certus apud superos nihil pro soloecismis aut barbarismis reputari nisi peccata. Ibi dictum illi ex lib. I. de im. Chr. c. 3. n. 4. et 5.: «Humilis tui cognitio certior via est ad deum, quam profunda scientiae inquisitio. Certe adveniente die iudicii non quaeretur a nobis, quid legimus, sed quid fecimus, nec quam bene didicimus, sed quam religiose viximus.» Hisque immorans omnes boni religiosi numeros explevit, et quamquam nec poeta nec philosophus nec theologus inter suos fuerit, in coelo tamen procul dubio sedem supra innummeros poetas, philosophos ac theologos obtinuerit. Quod ei tanto gloriosius est, quanto ex humiliori literatura in eam celsitudinem se promovit. Cuius intercessioni me commendans ad alia pergo, eundem ulterius defensurus contra eos, qui ex immodico et privato amore alienum foetum invito supponentes illum ipsamque veritatem inadvertenter offendunt.

Motivum sextum.

Manifesta errata scriptoria, quae Thomas a Kempis in suo Antverpiensi codice de imitatione Christi 1441. exarato admisit: collecta ex editione Plantiniana Heriberti Rosweydi, Antverpiae anno 1627. ipsaque Thomae manu propria.

1. Accuratior et tersior editio librorum de im. Chr. hactenus nulla credebatur Antverpiensi, quam Rosweydus ad fidem autographi (ut nominant) recensitam evulgaverat; quippe qua ipsum etiam Sommalium centum fere locis exerrantem ad calamum Thomae de Kemp. se revocasse profitetur. Haec autem Rosweydi saepius iterata editio, quam

parum accurata ac tersa sit, gravissima menda capite praesenti exponenda manifestabunt; simulque docebunt Thomam a Kempis, tot tantorumque naevorum fontem, istius libelli auctorem esse non posse. Ad haec autem errata detegenda opus est codicibus manuscriptis, Thomaeo codice antiquioribus adeoque ante annum 1441. exaratis. Horum quinque ad manus habeo a reverendissimis et amplissimis dd. abbatibus O. S. B. Valentino Mellicensi in Austria, Dominico Weingartensi et Benedicto Wiblingensi in Suevia gratiose mihi communicatos, quos hoc capite iuxta numeros annorum, quibus singuli scripserunt, fideliter et religioso candore allegabo, addita prima monasterii litera, in hunc modum: Tres Mellicenses cum litera M. 1421., M. 1435., M. 1440. — Vinearum sive Weingartensem cum lit. V. 1433. — Wiblingensem cum Litera W. 1433.

Liceat his adiungere codicem Zwifaltensis monasterii, ordinis eiusdem in Suevia a reverendissimo et amplissimo dn. Udalrico abbate mihi submissum et germanice 1448. scriptum, qui licet aetate codicem Antverpiensem non superet, eius tamen protypum Thomaeo procul dubio grandaevius erat, alter nimirum codex germanicus, ex quo hic descriptus, vel certe latinus, ex quo prima translatio facta est in linguam germanicam. Huius in fine libri tertii legitur anni nota et haec verba eadem, qua praecedentia omnia, manu scripta: «1448., am andern tag vor weynachten, war diss buech ussgeschriben, Bitt Gott vor mich ein ave Maria». Hoc est: hic liber scribendo absolutus fuit propridie nativitatis dominicae anno 1448., ora pro me unum Ave Maria. Hunc proinde codicem accuratissime translatum et scriptum citabimus cum litera Z. et anno suae scriptionis 1448.

2. Ochsenhusanus anno 1427. et alter Weingartensis anno 1434. scripti, a me quondam nisi et a Werlino ac Hesero passim etiam allegati, bello germanico, proh dolor! ut alia plura perierunt. Wiblingensis vero non (ut Cajetanus, Werlinus et Heserus perperam allegant) anno 1430., sed anno 1433. exaratus est; prout antiquarius sua manu his verbis et literis adhuc incorruptis subscripsit: «Explicit tractatus scriptus in Concilio Basiliensi anno domini MCCCCXXXIII.» Mellicenses 1421. et 1440. continent solummodo librum primum de im. Chr., Wiblingensis primum et secundum, Vinearum seu Weingartensis primum, secundum et tertium, Mellicensis 1435. omnes quattuor solito ordine dispositos, Zwifaltensis tres priores uno charactere et atramento scriptos, quartum paulo minore charactere et minus atro atramento, minio tamen et scriptura eadem in capitum titulis seu inscriptionibus. Sunt autem hi codices accurate et cum summa diligentia sine lituris, sine rasuris et correctionibus, qualibus totus Antverpiensis Thomae

refertus est, exarati. Hoc uno differt a reliquis Wiblingensis liber primus, quod in eo capita alio ordine disponantur. Mox enim post primum caput subiungitur c. 12. de utilitate adversitatis cum tredecim sequentibus ordine ac deinde demum c. 2. de humili sentire sui ipsius cum sequentibus. Cuius tamen non habita ratione nos ea vulgato ordine vitandae confusionis causa citabimus. Ad quos manuscriptos inspiciendos et agnoscendos quemvis veritatis amantem invitamus, eos, quamdiu quidem nostris in manibus fuerint, cuivis exhibere parati. Nunc ad errores et menda Kempensia ex eis emendanda transeamus.

Libro primo.

3. Ipse in limine impegit Thomas, quando in Antverpiensi suo codice mox post indicem libellorum inibi contentorum subiungens indicem capitulorum libri primi de imit. Chr. minio suaque manu sic exorsus est «incipiunt Caputula». Ne autem eodem errore laberetur in ceteris tribus libris, scripsit «Cap͂la» per abbreviationem, ut nescias, sitne similiter legendum caputula an capitula. Itane scripserit libelli auctor et a scriptione triginta annis supernis tantum errorem in ipsa fronte operis a se commissum numquam adverterit, numquam correxerit?

Cap. 2. n. 2. Valde insipiens est (scribit Thomas et ex eo Rosweydus) qui aliquibus intendit, quam his, quae saluti suae deserviunt. Manifestum mendum; Mellicenses 1421. 35. 40. et Wibl. 1433. et Zwif. 1448. pro aliquibus melius habent aliis. Omnium vero optime codex Vin. 1433.: Qui aliis intendit, quam... Unde et causa erroris apparet, ex omissione duorum nominum orti: Valde insipiens est, qui aliquibus vanis magis intendit, quam his, quae saluti suae deserviunt.

Cap. 3. n. 5. Dic mihi, ubi sunt modo omnes illi domini et magistri, quos bene novisti, dum adhuc viverent et studiis florerent. M. 1421. 1435. 1440. W. 1433. V. 1433. et Z. 1448. rectius legunt «in studiis».

Cap. 4. n. 2. Magna sapientia non esse praecipitem. Deest tertia persona verbi substantivi. Hinc codices V. 1433. W. 1433. M. 1435. et Z. 1448. melius habent: Magna sapientia est, non esse praecipitem. Eodem modo cod. Vien. ms. et impress. — Ibid. Cum sapiente et conscientioso viro concilium habe. Sic etiam c. 9. n. 3. scripsit Thomas, securius esse audire et accipere concilium; et rursum c. 13. n. 4.: Saepius accipe concilium. Omnes manuscripti exprimunt consilium; eodem modo codd. Vien. ms. et impress.; et recte. Ex quibus vel solis inscitia Thomae de Kemp. innotescit nescientis discernere inter consilium et concilium, qui si libri auctor fuisset, utique semel errorem hunc agnovisset et

emendasset. Sommalius et Rosweydus dissimulando substituerunt ubique consilium, ne Thomam rubore suffunderent.

Cap. 8. n. 1. Cum divitibus noli blandire. Manifestus error et soloecismus pro blandiri; sic enim in omnibus legitur manuscriptis antiquioribus.

Cap. 11. n. 5. Fervor et profectus quotidie deberet crescere. Deest hoc loco pronomen «noster», quod M. 1421. 1435. 1440. V. 1433. et Z. 1448. exprimunt: Fervor et profectus noster quotidie deberet crescere.

Cap. 13. n. 1. Unde in Job scriptum est: Tentatio est vita humana super terram. Hoc loco Job perperam citatur. Melius W. 1433. M. 1435. et Z. 1448.: Tentatio est vita hominis super terram; istud enim et non illud scriptum est in Job. — Ibid. n. 5. Unde quidam dixit: Principiis obsta, sero medicina paratur. Pentametrum: Cum mala per longas invaluere moras, ad integritatem sensus necessario requisitum Thomas omnino omisit. Id exprimunt codices M. 1435., Aronensis, Z. 1448. et unus impressus Coloniae Agrip. 1503., iterumque ambo codices Augustani germanice impressi annis 1498. et 1508. — Ibid. n. 7. Humiliemus ergo animas nostras sub manu Dei. W. 1433. M. 1435. et Z. 1448. rectius legunt: Humiliemus ergo animas nostras sub potenti manu Dei.

Cap. 15. n. 1. Pro utilitate tamen indigentis opus bonum libere aliquando intermittendum est. *Tò* libere superfluum est nec invenitur in codicibus M. 1421. 1435. 1440. nec V. 1433. nec Z. 1448. — Ibid. Magis siquidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam opus, quod facit. Codd. M. 1421. 1435. 1440. V. 1433. et Z. 1448. melius legunt: Ex quanto quis agit, quam quantum facit. Eodem modo uterque Viennensis.

Cap. 17. n. 1. Beatus, qui ibidem bene vixerit et feliciter consummaverit. Ita Rosweydus, sed perperam. Codd. enim M. 1421. 1440. V. 1433. W. 1433. et Z. 1448. constanter retinent: vixit et consummavit; eodem modo uterque Vienn. — Ibid. Teneas te tamquam exulem peregrinum super terram. Deest hoc loco coniunctio «et»; nam codd. M. 1421. 1435. 1440. V. 1433. et Z. 1448. habent expresse: Teneas te tamquam exulem et peregrinum super terram. Eodem modo uterque Vienn. — Ibid. n. 2. Habitus et tonsura modicum confert pro conferunt. Sic lego in codicibus M. 1435. 1440. et Z. 1448. Eodem modo codex ms. Vienn.; impressus autem habet «faciunt et conferunt». Causam erroris multis descriptoribus ipsique Thomae dedisse reor, quod primi verbum «conferunt» scripserint cum abbreviatione, superne ducta lineola, quam non observantes descriptores scripserunt «confert».

Cap. 18. n. 6. Och teporis et negligentiae status nostri! Och vox est exclamantis prae dolore corporali, non quadrans praesenti loco. Thomas in libro, ex quo haec descripsit,

legit «och» pro «ach»; omnes antiqui codd. habent «ach», excepto V. 1433., qui habet «o».

Cap. 23. n. 1. Valde cito erit tecum hic factum, vide aliter, quo modo te habeas. Omnes vetustiores legunt «quomodo te hic habeas», dempto W. 1433.; ceterum adverbium «aliter» Sommalius praetermisit, iudicans impertinens. Cod. W. 1433. pro aliter habet aliqualiter meliore sensu; omnium vero optime Z. 1448.: Siehe, dass du dich anders hier haltest — «vide, quomodo te hic aliter habeas», relato aliter ad habeas.

Cap. 24. n. 3. Ibi acediosi ardentibus stimulis perurgentur. Manifestus error pro pungentur. Auctor libri omnia alia hic exprimit per tempus futurum: cruciabuntur, perfundentur, ululabunt etc., unde liquet *τὸ* perurgentur manifestum esse mendum descriptoris Thomae. Codices M. 1435. 1440. recte exprimunt pungentur, ita enim sensus ipse requirit. Consentit Z. 1448.: die Trägen werden . . . gestupfet.

4. Libro secundo.

Cap. 1. n. 6. Amator Jesu et veritatis et verus internus et liber ab affectionibus inordinatis etc. Illud «et veritatis» superfluere non solum ratio docet, sed etiam codices V. 1433. M. 1435. et Z. 1448.

Cap. 4. n. 1. Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitae et liber sanctae doctrinae esset. Deest in fine pronomen «tibi», id quod exhibent codd. W. 1433. et Z. 1448.

Cap. 7. n. ult. Plus enim homo nocivior est sibi, si Jesum non quaerit, quam totus mundus et omnes sui adversarii. Hoc mendum duplicis comparativi corrigit codex V. 1433. magis enim, inquiens, homo nocivus est sibi, si etc.

Cap. 10. n. 5. Semper pro salute nostra facit, quidquid nobis advenire permittit. Errorem hunc emendat cod. M. 1435., qui melius habet: Semper pro salute nostra facit, quidquid nobis evenire permittit. Z. 1448: Dass er verhängt über unss zu kommen.

5. Libro tertio.

Cap. 2. n. 2. Pulchriter dicunt, sed te tacente cor non accendunt. Ita Thomas barbara voce; horruit Sommalius tantam barbariem ideoque substituit «pulcherrime», quod etiam lego in editione Coloniensi anni 1503. V. 1433. habet pulchritudinem; alius m. s. recentior, etiam V. 1472 pulchre. Codex vero M. 1435. hanc exhibet lectionem: Per lucernam dicunt, sed te tacente cor non accendunt. Quam eandem lectionem invenio in m. s. Z. 1448. «Sie sprechen durch die Laternen, aber sie enzünden das Herz nit.» Eandem exhibent duo codices Augustani, vernacula lingua impressi, alter anno

1498. apud Joannem Schönsperger, alter 1508. apud Erhardum Oeglin et Georgium Nadler, hunc in modum: «Sie sprechen durch die Lucern, aber sie entzünden dass Herz nit», ducta similitudine a lucerna, cuius splendor tralucens illuminat quidem, sed nihil accendit aut amburit. Loquitur auctor hic de prophetis eorumque libris, quibus illud quadrat Davidicum: «Lucerna pedibus meis verbum tuum». Pslm. 118. Saltem evincitur Thomam cum suo «pulchriter» turpiter errasse, cum sit adverbium inauditum in nullo vetustiori m. s. expressum, Thomae tamen eruditione non indignum et ab eodem usurpatum in vall. lilior. c. 27. n. 2.

Cap. 5. n. 5. Si quis amat, novit, quid haec vox clamet. Rectius codex M. 1435. propter ὁμωφονίαν — alludit enim ad sententiam S. Bernardi, ni fallor.

Cap. 6. n. 4. Licet plures mihi moliris molestias. Codd. V. 1433. M. 1435. aliique m. s. constanter legunt «moliaris», quos, relicto Thoma, secutus est Sommalius.

Cap. 7. n. 5. Nam merita non sunt existimanda pro aestimanda. Quem errorem agnoscentes Sommalius et Werlinus in suis editionibus ambo substituerunt «aestimanda». Rosweydus suo more maluit sequi Thomam errantem quam sensus veritatem. Idem aestimanda exhibent codd. V. 1433. M. 1435. aliique m. s. Z. 1448.: «Dass manche Verdienste nit daraus zu schetzen sind.»

Cap. 8. n. 2. Quia tu, o dulcissime, facis mecum supra meritum omne et supra id, quam audeo sperare. Emendant hoc mendum codd. V. 1433. M. 1435. et Z. 1448., dum habent: super id, quod audeo sperare.

Cap. 20. n. 2. Miserere et eripe me de luto, ut non infigar. Rectius codd. M. 1435. Z. 1448., ambo Augustani 1498. et 1505. et Coloniensis 1503. Miserere mei et eripe me de luto etc. — Ibid. n. 3. Misera caro, spiritui necdum plene subacta pro subiecta. Sic enim legunt codd. V. 1433. M. 1435. et Z. 1448.

Cap. 22. n. 1. Cum tuam nobilitatem attendo, deficit prae magnitudine spiritus meus. Deest hoc loco relativum «illius», id quod exprimunt codd. V. 1433. et M. 1435. ceterique m. s. omnes habentes «prae magnitudine illius». — Ibid. n. 4. Ita ut considerata quis paupertate et vilitate personae suae non modo gravitatem aut tristitiam vel deiectionem inde concipiat, sed potius consolationem. Grandis et palpabilis hic error est. Deest enim huic sententiae manifeste una negatio, cuius absentia reddit sensum contrarium; in ceteris lego: «non modo nullam gravitatem». Sic etiam Z. 1448. «Dass er da von khein Beschwerung empfahe» etc. Rosweydus autem etiam ad absurdum usque adhaeret Thomae suo, cuius menda scriptoria pro oraculis habet. — Ibid. n. 5. Ut ita libenter velit esse minimus, sicut

aliquis optaret esse maximus. Cod. M. 1435. longe melius habet «sicut alius optaret esse maximus»; Z. 1448. «als ein weltlicher begehrt zu sein der grösste».

Cap. 23. n. 5. Emitte lucem tuam et veritatem, ut luceant super terram. Rectius M. 1435: «Emitte lucem tuam et veritatem tuam». Sunt enim ipsissima verba Psalmi. Consentit accuratissimus Z. 1448: «Sende aus dein Licht und dein Wahrheit.»

Cap. 24. n. 1. Fili, noli esse curiosus nec vacuas gerere sollicitudines. Sommalius agnito errori Thomaeo substituit «gere»; et recte Thomas non distinxerat inter imperativum et infinitivum. Cuius errorem sequitur Rosweydus. Z. 1448.: «trag nit unnützen Fleiss».

Cap. 26. n. 3. Si fueris tam fortis et longanimus in spe. Sommalius et Werlinus restituerunt in suis editionibus longanimis. Idipsum habent codd. V. 1433. et M. 1435.

Cap. 31. n. 1. Pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum sequestrari. Duo errores; Coniunctio «et» superabundat, nec reperitur in codd. V. 1433. M. 1435. nec Z. 1448. Etiam *τὸ* sequestrari manifestus est soloecismus Thomae antiquarii. Verus enim auctor lib. 4. c. 10. n. 4. habet expresse se a divinis sequestrare: id quod hoc loco etiam reponendum. Rosweydus mavult cum Thoma soloecismos committere, quam eum amanuensem duntaxat agnoscere. — Ibid. n. 4. Quam impura sint omnia, non deploramus. Omisit hic Thomas pronomen «nostra», quod restituitur ex codd. V. 1433., M. 1435. et Z. 1448., ubi sic legitur: Quam impura sint omnia nostra, non deploramus.

Cap. 32. n. 1. Relinque cupidinem et invenies requiem. Cupidinem pro cupiditatem; sic enim lego in codd. Z. 1448., W. 1454. et impresso Colon. 1503. ipsaque ratio dictat et inscriptio capitis istius, quae est: De abdicatione omnis cupiditatis, non cupidinis; cupido enim longe aliter sonat. — Ibid. n. 2. Immo in hoc brevi includitur omnis perfectio. Omisit hic Thomas *τὸ* verbo. Sic docet codex V. 1433.: In hoc brevi verbo includitur omnis perfectio.

Cap. 33. n. 1. Fili, noli credere affectui tuo, qui nunc est, cito mutabitur in aliud. Longe melius codd. M. 1435. et Z. 1448.: Fili, noli credere affectui tuo, qui nunc est, et cito mutabitur in aliud. Eod. modo uterque Vien. sine «et».

Cap. 36. n. 3. Quodsi ad praesens tu videris succumbi. Scivit auctor utique huius libelli verbum «succumbo», quo saepius usus est, ut lib. III. c. 5. n. 3., c. 29. n. 3., c. 50. n. 3. in infinitivo non habere succumbi, sed succumbere. Unde vel Thomas ipse describendo graviter erravit vel (quod credibilius) mendosum exemplar prae manibus habuit, ex quo tamen soloecismum describere non debuisset, si auctor libelli

fuisset, multo minus Rosweydus labentem Thomam tam presso pede sequi.

Cap. 38. n. 1. In omni occupatione externa sis intimus liber. Hoc loco codex, quem Thomas descripserat, habebat «interius», sed cum signo abbreviaturae. Thomas itaque legit intimus, ubi ex cod. M. 1435. lego interius. Idque melius ad sensum consentit codex Z. 1448.: «Dass du in allen deinen eusseren werkhen od. übungen seyest inwendig frei».

Cap. 42. in fine: Quantumcumque modicum sit, si inordinate diligitur et respicitur, retardat a summo et vitiat. Deest adiectivum «bono», id quod reperio in cod. M. 1435. cum pluribus sequentibus a Thoma praetermissis; ea sic leguntur: Quantumcumque modicum sit, si inordinate diligitur et respicitur, retardat a summo bono, quod super omnia diligendum est et respiciendum, alias seducimur. Eadem habit cod. Z. 1448.: «Dass verhündert und saumet dich an den obersten gueth, dass über alle Ding lieb ist zu haben und anzusehen, anderst wir werden bedrogen».

Cap. 43. n. 3. Ego sum, qui doceo terrena despicere, praesentia fastidire, aeterna quaerere, aeterna sapere. Bis aeterna deceptus oculorum praecipitantia; nam codd. V. 1433., M. 1435., Z. 1448. habent «coelestia quaerere, aeterna sapere». — Ibid. n. 4. Quia intus sum doctor veritas. Grandis error et soloecismus descriptoris Thomae, quem ut mitigaret Sommalius, interjecit comma. Rosweydus Thomam secutus comma praetermisit. Werlinus fol. 159. V. V. defendit τὸ veritas; in editione vero libelli posuit «veritatis». Atque haec est genuina lectio, nempe doctor veritatis, quam et codd. V. 1433., M. 1435., Z. 1448. aliique exhibent, et ipse contextus exigit: «Quia intus sum, inquiens, doctor veritatis, scrutator cordis, cogitationum intellector, actionum promotor, distribuens singulis, sicut dignum iudicavero.» Uterque codex Vien. habet: «Doctor veritatis».

Cap. 45. n. 4. Et linguam callidam fac a me. Ipse sensus claudicans Thomam hic aliquid omisisse clamat ipsique codices V. 1433., M. 1435. et Z. 1448., qui sic habent: «Et linguam callidam longe fac a me.» Alludit enim auctor ad illud Proverb. 30. v. 8.: «Et verba mendacia longe fac a me». Rosweydus ad omnia Thomae menda dormit.

Cap. 48. n. 4.: Mente omnibus rebus superesse volo, carne autem invite subesse cogor. Iterum ambo dicti codd. V. 1433. et M. 1435. deviantem Thomae manum in viam reducunt, quando sic legunt ipsi: Mente omnibus rebus superesse volo, sed carne invite eis subesse cogor. Similiter Z. 1448.: «Mit dem gemueth wil ich sein uber alle ding, aber mit dem Leib wirdt ich bezwungen, unter alle dinge zu sein».

Cap. 49. n. 5. Aliis hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil utile iudicaberis. Vehementer miror tam indoctum scribam a Rosweydo pro libelli auctore haberi. Palpabilem hunc errorem ac soloecismum ferre non sustinens Sommalius in suis editionibus reposuit «utilis». Ambo m. s. V. 1433. et M. 1435. plana via legendum monstrant: Tu autem ad nihil utilis iudicaberis.

Ibidem. Propter hoc natura quandoque contristabitur et magnum si silens portaveris. Sententia haec valde manca est. Codd. V. 1433., M. 1435. plus addunt, dum aiunt: Propter hoc natura quandoque contristabitur, et magnum certamen sustinebit. Alius Wibl. 1454. locum hunc his verbis exprimit: Propter hoc natura quandoque contristabitur et magnum certamen sustinebit, sed magnum bonum inde consequetur, si aequanimiter et patienter toleraverit. Eandem lectionem invenio in alio codice Vinear. 1472. Omnium vero optime ms. germanicus Zwifalt. 1448., quem magni aestimare soleo: «Und dess wirt dein Natur etwan traurig und bedriebt, aber es ist, dass du es schweigent geduldigtliche trägst, so würstu grosse Lohn erlangen». Integrum etiam exemplar nacti sunt, qui editionem Dilinganam an. 1576., Coloniensem an. 1503. aliamque ibidem ex officina Birckmannica an. 1599. procurarunt, ubique sententiam in hunc modum exprimentes: «Propter hoc natura quandoque contristabitur et magnum certamen sustinebit, sed magnum bonum inde consequeris, si silens portaveris». Ex quibus omnibus manifeste liquet, Thomam de Kempis in utroque suo codice tam Antverpiensi, tam Lovaniensi integram lineam describendo omisisse, sive suo sive, quod malo credere, exemplaris, quod descripsit, vitio; cum et ipse sensus plus verborum requirat, quam Thomas posuerit. Et hoc non adverterit libelli auctor, si Thomas fuisset? Nihilominus Rosweydus ambos codices veluti sacra Cereris exosculatur, ut Belgis suis aestimandos esse persuadeat, quantumvis decumanis erroribus sint referti, quos omnes codicum tegit amor et aestimatio, ut hic etiam verum sit: quisquis amat ranam etc.

Cap. 50. n. 7. Da mihi domine scire, quod sciendum est etc. Iterum manca sententia, cui deest relativum «hoc», quod exigunt sequentia; unde longe melius codices V. 1433., M. 1435. et Z. 1448.: Da mihi domine hoc scire, quod sciendum est, hoc amare, quod amandum est, hoc laudare, quod tibi summe placet, hoc reputare, quod tibi pretiosum apparet, hoc vituperare, quod oculis tuis sordescit.

Cap. 52. n. 2. Nec decet me inter tuos devotos commemorari, pro commorari; sic enim legitur in codd. M. 1435., Z. 1448. et Colon. 1503. «Nec decet me inter tuos devotos commorari»; «mir gezimet nicht zu wohnen under deine geistlichen Freunde.» Germanice impressi Augustani 1498.

et 1508. sic legunt: «Noch gezimbt mir nit zu wohnen under deine geistliche menschen.»

Cap. 54. n. 2. Gratia autem non, quid sibi utile et commodosum, sed quod multis proficiat, magis considerat. Horruerunt ad monstrum hoc nominis Sommalius et Werlinus ideoque in suis editionibus substituerunt commodum pro commodosum; convenientes vero auctori, qui hoc eodem libro III. c. 49. n. 3.: «Pete, ait, non, quod tibi est delectabile et commodum, sed quod mihi est acceptabile.»

Cap. 56. n. 4. Suscepi, suscepi de manu tua crucem; portabo et portabo eam usque ad mortem. Hoc saltem loco, lector, Thomam non auctorem, sed descriptorem libelli nostri agnosce. Quid enim opus tot elumbibus tautologiis? Antiquiores codices nihil horum uspiam exprimunt, sed V. 1433., M. 1435., Z. 1448. et ambo Augustani 1498. et 1508. sicut et Colon. 1503. de plano sic loquuntur: «Suscepi de manu tua crucem et portabo eam usque ad mortem.»

Cap. 58. n. 6. Sed est distantia incomparabilis, quae imperfecti cogitant et quae illuminati viri per revelationem supernam speculantur. Locus hic ob defectum relativi «eorum» mancus a codd. M. 1435. et Z. 1448. pulchre sic emendatur: «Sed est distantia incomparabilis eorum, quae» etc.

6. Libro quarto.

Cap. 7. n. 3. Firmum statue propositum semper emendandi vitam tuam. *Tò* semper redundat nec invenitur codd. M. 1425. et Z. 1448.

Cap. 11. n. 1. Et mihi quidem dulce foret etc. cum pia Magdalena pedes tuos lacrimis irrigare, pro rigare; sic enim hoc mendum emendant iidem codices, idque Evangelio Luc. 7. conformius est. Eo enim fit allusio.

Cap. 17. n. 2. Haec omnia tibi cum summa veneratione et intimo favore praebeo et offero. Hoc mendum peccat contra *τὸ πρέπον*. Longe melius codd. M. 1435. et Z. 1448.: «Haec omnia cum summa veneratione et intimo fervore praebeo» etc.

Cap. 18. n. 1. Tolerabilis pia et humilis inquisitio veritatis, parata semper doceri et per sanas patrum sententias studens ambulare. Haec sententia deficiente verbo substantivo sensum non habet estque mere syncategorematica. Cod. M. 1435. aliquanto melius: Tolerabilis, pia et humilis inquisitio veritatis parata est semper doceri et per solas patrum sententias studens ambulare. Omnium integerrime cod. Z. 1448.: «Ess ist wohl leidenlich, ein düemüetige, güetige vorschung der warheit, die alweg zu underweissung und löhre beraith ist und sich fleisset zu wandlen und nachzuvolgen den hailsamben löhren und guet geduenken der Väter.»

«Tolerabilis est pia et humilis inquisitio veritatis, parata semper doceri etc.» Defectum huius verbi substantivi apud Thomam etiam observavit interpres Graecus Mayr e soc. Jesu, qui in editione graeco-latina, August. Vindel. an. 1615. illud (ut et alibi plura) substituit in eum sensum, quem Zwifaltensis m. s. expresserat: « *Φορητός ἐστιν*, inquiens, *ἡ θεοσεβὴς καὶ ταπεινὴ ἐξερεύνησις τῆς ἀληθείας, ἑτοίμη οὖσα ἀεὶ διδάσκεσθαι, καὶ ἐν ταῖς τῶν πατέρων ὑγιαινούσαις γνώμαις πειρωμένη περιπατεῖν.*»

7. Habes integerrime, lector, errata nonnulla a me inter legendum obiter observata et a Thoma de Kempis in suis apographis propria manu scriptis commissa, pleraque tam absurda et enormia, ut ea auctori libelli imputare nulla ratio permittat; tam manifesta, ut ea Rosweydus, cuius candorem laudo, celare nec potuerit nec voluerit, etiam Sommalium hac in re perstringens, dum c. 19. vindic. Kemp. «Curiose sane, ait, Sommalius noster textum distinxit, sed non ubique ipsa Thomae verba ex autographo expressit quorundam, uti videtur, barbarie offensus. «Dixerat autem Sommalius se omnia bona fide ex autographo Kempensis restituisse. Num vere, viderit ipse.» Ego vero, pergit Rosweydus, autographo Antverpiensis nostri collegii, nunc domus professae, usus in subsidium quoque Lovanio Martiniensem codicem et ipsum auctoris manu exaratum advocans postremam Sommalii nostri editionem ad eorum fidem exegi et paene centum locis ad auctoris calamum revocavi.» Et ibidem praefat. ad lectorem: «Ad duo igitur autographa libellos hos rursus comparavi, superflua resecui, suppositicia removi, male contorta reposui et ex eorum concordi fide omnia expressi.» Adeoque omnes supradicti naevi non casu aut ex inadvertentia a Thoma commissi, sed concordi fide (hoc est: errore) utriusque manuscripti codicis per manum ipsius scienter libello inserti fuerunt: id quod ingens pondus addit huic sexto nostro motivo, quo Thomas evidenter convincitur huius operis nonnisi scriba seu descriptor extitisse.

8. Quis enim sibi persuaserit Thomam auctorem fuisse libelli, quem in duplo tam vastis erroribus non sine rubore evulgantium foedavit et conspurcavit? Adeone frequenter auctorem theologum exerrare in committendis soloecismis, in omittendis tot nominibus, immo lineis et sententiis nec errores advertere? Credat Judaeus Apella, non ego. Descriptorem et antiquarium Thomam agnosco, qui cum iam sexagenario maior Antverpiensem codicem exaraverit, si auctor libelli fuisset, an non omni saxo stupidior et insensibilior extitisset, nisi tam enormia errata a se in duplo commissa per triginta annos a prima, ut volunt, scriptione, et per alios triginta, quibus supervixit, adeoque universim per 60 annos secundis curis et revisionibus concessos non animadvertisset,

non correxisset? Illene hos ipsos naevos archetypo suo circa annum 1410. iam inscripserit? Qui ergo factum, quod nemo antiquariorum ex eo tempore sequentium illos ex eo descripserit? Quo enim propiores fonti, eo similiores ipsi esse oporteret. Cur omnes codices vetustiores et ante annum 1441. scripti inveniuntur emendatiores? Ipsum Noviomagensem codicem anno 1427. scriptum et a Rosweydo lectum et allegatum apello. Quare procul hinc cum nomine Thomae.

9. Rosweydus c. 18. Vind. Kempens. «manuscriptum Aronensem, ait, non esse autographum vel ab auctore dictatum, immo nequidem ab archetypo desumptum, multis manifestis indiciis deprehenditur». Mox quinque speciminibus errorum id probat. Verum mutato nomine de te fabula narratur, Rosweyde! Si tibi ad reiciendum codicem Aronensem sufficiunt quinque dumtaxat errata; an nobis ad reiciendum Antverpiensem non sufficient sexaginta? et ad Lovaniensem totidem? Tu proinde videris, qua fide scripseris c. 19. Vind. Kemp.: Liber noster Antverpiensis tam accurate ab auctore scriptus est, ut ne literula quidem aberrarit. Si quae inibi transpositio verborum scribenti evenit, ipse post minio, dum libros relegit, fugitivum vocabulum in locum suum revocandum monuit. Sed quae necessitas eum coëgit, ut revocanda moneret? Cum auctori verborum transpositio fuerit arbitraria, cur non etiam relegendo correxit soloecismos? Cur non verba lineasque a se praetermissas? Cur non alios naevos et errores? O somnia!

10. Tacebo alia, quae in codice Antverpiensi observata non solum a theologo et auctore plurimum abhorrent, sed et imperitum descriptorem arguunt, ubi Thomas sua manu saepius scripsit:

Verumptamen pro verumtamen, volt pro vult, och pro ach, nichil pro nihil, concilium pro consilium, paciamur pro patiamur, milibus pro millibus, humilimus pro humillimus, temptatio pro tentatio, abhominandae pro abominandae, optinere pro obtinere, syrene in dativo pro syreni, hii, hiis pro hi, his, michi pro mihi, fantasia pro phantasia, quatinus pro quatenus, caritas pro charitas, optulerunt pro obtulerunt, totiens, quotiens pro toties, quoties, dampnosis pro damnosis, broch dolor pro proh dolor, nullatinus pro nullatenus, sencient pro sentient, eciam pro etiam, divicias pro divitias, contempnere pro contemnere.

Aliaque plura similia, quae prudens hic omitto, ne pueri in rudimentis incipiant strepere pedibus et Thomam ad sua subsellia postulare, quem nuper alii in cathedra collocantes inter gravissimos theologos computaverant. At lamentantem hic audio Joa. Frontonem, qui part. 3. § 1. sui Thomae vindicati contra Valgravium: «Facis, inquit, hic Thomam nostrum cacographum quendam et gryphum, qui nec scribere

novit». Ego. sane cum apostolo me excuso et dico: «Factus sum insipiens, vos me coegistis». 2. Cor. 12. Spero tamen me operam non lusurum, si propediem vita comite quattuor libellos de im. Chr. ex vetustioribus anteque annum 1441. manuscriptis recensitos pro bono publico quam emendatissime in lucem dedero. Quem in finem optarem mihi plures eiusdem antiquitatis codices, quos adhuc in bibliothecis haberi non ambigo, gratiose communicari.

11. Interim, quicumque Thomae Kempensi aureum de im. Chr. libellum adscribunt, plus oneris illi imponunt, quam vir piissimus sit ferendo. Succumbunt humeri nullo certe cum honore tantum onus imponentium. Cogitur religiosissimus pater vel nolens hodie fateri ea se lucubrasse, quae olim aliunde descripsit, suos quodammodo hisce, si capaces cerneret, alloqui malens: «Cur mihi ut auctori libellum affingitis a me non compositum, sed exaratum? Cur onus importabile in humeros infirmos vestro demum cum dedecore inicitis? Nescitis et iuvenem me librorum descriptorum pretio vitam tolerasse et iam religiosum in eadem opera negotium meum gessisse? Grammataeum vestrum agnoscite et miniarium; haud egeo suppositis foetibus; mihi mei labores sufficiunt; numquam ad auras gloriae vela feci; salutis privatae et publicae in lucubrando rationem habui, cuius amore si vos quoque ducimini, scribite potius ipsi pro futuro, quam ut me veluti Aesopi corniculam furtivis coloribus exornetis mihique, qui procul ab ambitu semper fueram, plagium imputetis.» Verum nos ad aliud non minus nervosum motivum ordine progrediamur.

Motivum septimum.

Thomae de Kempis apographum Antverpiense, cum fere sexcentis rasuris, correctionibus, additionibus, transpositionibus et mutationibus refertum ac defoedatum sit, non permittit, ut ipsi velut auctori libellus de im. Chr. rationabiliter adscribatur.

1. Ypsilon litera nominatur Pythagorica, qua philosophus ille praestantissimus humanorum ingeniorum digressionem a se invicem describere solebat. Stirps una, ramorum digressio varia et ea quo altior, eo remotior. Ita qui in iuventute videbamur pares una via perrecturi, demum diversis applicati studiis immensum mutuo deserimus, ut nonnumquam in absurda quoque prolapsi pertinaciter iis inhaerere delectemur, nec ullis machinis ad pedem literae Pythogoricae nos uniri sinamus. Tales sunt, qui mordicus ea tuentur, quae defendere nequeunt. Asserunt nonnulli Thomae Kempensi quattuor de im. Chr. libellos, illorum ectypon seu apogra-

phum (quod autographum Antverpiense nominant) in testem et medium proferunt, de manu ipsius Thomae palam gloriantur, non advertentes interim hunc testem non pro se, sed pro nobis multiplex et amplissimum testimonium ferre. Hos igitur ad pedem literae Pythagoricae, ad unitatem inquam et erroris sui agnitionem praesenti capite modo velint reducere constitui.

2. Nactus alicunde sum exemplar ex illo Antverpiensi codice Thomaeo, de verbo ad verbum, immo de litera ad literam laboriosissime transsumptum, et quidem tanta cum attestatione mihi transmissum, ut iuberer ex eo confidentissime et audacter citare Antverpiensem, me nec uno apice aberraturum, tam consonum esse hoc ectypon suo protypo. Qua candore et fide nixus librum aperui, inspexi. Ubi non nihil legere et evolvere coepi, stupui Thomae codicem scabendo, scalpendo, radendo, corrigendo tantopere dilaniatum et (paene dixissem) excoriatum adhuc apud viros quosdam doctos tantam fidem obtinuisse, ut ipsissimus pullus Iovis et auctoris autographum nominaretur, ex quo Thomam de Kempis operis auctorem assererent, cum e diametro contrarium inde colligatur. Ut vero lectori veritatis amanti de re ipsa constet, hoc loco omnes illius manuscripti Antverpiensis rasuras, correctiones veteres et recentiores, additiones, transpositiones et mutationes exscriptas oculis fidelissime subiciam, iudicium inde cuivis aequo arbitro libentissime relicturus. In qua exscriptione id observandum in illis solum literis, verbis aut sententiis dictas rasuras, correctiones etc. accidisse, quas lineola subductas typo olim cursivo, (si superis placuerit), exprimendas paravi, secutus in allegationibus numeros, prout a Sommalio dispositi reperiuntur, qui (vel quisquis ille fuit) utique bona intentione non paucas recentiores rasuras et correctiones adiecit, tum ut Thomam tot erroribus obnoxium confusioni publicae subduceret deque compositione libelli minus suspectum faceret, tum ut ipse manuscriptus tunc recens inventus a tersiori editione Sommalii minus discreparet. Lege, lector, iliadem rasurarum et, si potes, non obstupesce!

3. Rasurae, correctiones, transpositiones, mutationes et additiones in codice m. s. Thomae de Kempis Antverpiensi deprehensae:

In indice capitum libri de im. Chr. c. 4. «De providentia in rebus agendis» radendo et corrigendo facta est prudentia ex providentia et est correctio nova.

Libro primo.

Cap. 1. n. 3. Opto magis sen*tire*; quattuor literarum rasura et correctio nova. — Ibid. Si *scires* totam bibliam; rasura et correctio nova. — n. 4. *Vanitas igitur est, divitias*

perituras quaerere et in illis sperare; totam hanc sententiam in contextu omiserat Thomas, quam deinde post ultimam lineam illius faciei subnexuit, sed non eodem atramento. — Ibid. Vanitas *quoque* est; rasura et correct. nova. — Ibid. In altum *statum;* additio supra lineam, minio scripta. — Ibid. Unde postmodum *graviter;* additio est ad latus extra textum.

Cap. 2. n. 1. Melior est *profecto;* additio ad marginem. — Ibid. Qui me iudica*turus* est; rasum et correctum. — n. 4. Utilissima *lectio;* rasur. et correct. manifeste nova; prius erat *scientia.*

Cap. 3. n. 5. *Et* studiis florerent; rasum et correct. noviter. — Ibid. Aliquid *esse* videbantur; additio Thomae manu supra lineam. — n. 6. *Vere magnus est, qui magnam habet caritatem;* haec tota sententia videtur a Thoma superaddita, cum excedat ordinem et numerum linearum.

Cap. 4. in tit. De providentia (sive *prudentia)* in agendis; est additio Thomae, quam Rosweydus omiserat. — n. 1. *Broch* dolor; per *B* et *c* correctos aliquis addidit primae literae caudam, ut ex *B P* formaret. — Ibid. Malum facilius *quam bonum* de alio creditur; additio a Thoma ad marginem affixa, cum in textu non haberet locum. — n. 2. Cum conscientioso *concilium* habe; pro consilium. — Ibid. Quanto quis in se humilior *fuerit;* est additio ad marg. non Thomae.

Cap. 5. n. 2. *Sine* causa enim non proferuntur; duarum literarum rasur. et correct.

Cap. 6. n. 2. Exterioribus *dedito;* duae literae ras. et correct.; recens Thomas scripserat «deditis».

Cap. 7. n. 1. Vanus est, qui spem suam ponit in homini*bus;* tres liter. ras. et corr. — n. 2. De habilitate *aut* ingenio tuo; ras. et corr.

Cap. 8. n. 2. *Cui*us tamen praesentia; trium literarum rasur. et correct.

Cap. 9. n. 2: Necesse est *ut* relinquamus; rasum et correctum. — n. 3. Securius esse audire et accipere *concilium;* pro consilium. — Ibid. Potest *etiam* contingere; quattuor literae rasae ac correctae.

Cap. 10. n. 2. *Proch* dolor; per *c.* — Ibid. In Deo sibi sociant*ur;* duae literae sunt addititiae. Prius erat *sociant.*

Cap. 13. n. 4. Te*mp*ta*c*iones; sic semper Thomas: temptacio, temptantur etc. — Ibid. Saepi*us* accipe *concilium,* pro consilium; ras. et correct; prius erat *saepe.* — n. 5. Nulla*te*nus; nova correctio. Thomas semper scripsit «nulla*ti*nus». — n. 8. Maius meritum *exi tit;* ita Rosweydus et Sommalius. Thomas habet expresse *consistit.*

Cap. 14. n. 1. Ad te ipsum o*cu*los reflecte; rasura duarum literarum. — Ibid. Pro resistentia sensus nost*ri;* additio nova literae *i.*

Cap. 15. n. 1. Quam *opus, quod* facit; rasur. et correctio nova nimis manifesta. — n. 2. Benefacit, qui magis communitati, quam suae *volun*tati servit; nova rasura et correctio. Thomas scripserat voluptati.

Cap. 16. n. 2. *Ut* fiat voluntas eius; rasur. et corr.

Cap. 17. n. 1. Et *in*ibi sine querela; correct. et abbreviatum noviter. Prius erat solum *ibi*. — n. 3. *Scias* te vocatum; tres literae ras. et correct.

Cap. 18. n. 1. Intuere sanctorum *Patrum;* additio valde nova supra lin., cum in textu non superesset locus. Adeoque Thomas τὸ patrum omnino omiserat. — n. 2. Patres in eremo *duxerunt;* ras. et corr. nova; prius erat «vixerunt». — Ibid. Orationes *Deo* optulerunt; Deo est additio antiqua ad latus. Optulerunt pro obtulerunt. — n. 3. Foris ageban*t*; litera t nova et rasa. — n. 4. Sibi ipsis videbantur *tamquam*; ras. et corr. — Ibid. *Sed*erant in oculis; ras. et corr. — Ibid. Pretiosi et *di*lecti; duae lit. ras. et corr., prius *electi*. — Ibid. *In* caritate et pa*c*ien*c*ia; ras. et corr. nov. — n. 5. Qui tam strenue *militantes*; addit. nova ad marg. — Ibid. Profectus *virtutum;* ras. et corr. nova.

Cap. 19. n. 1. Qualis videtur *hominibus;* renovatum ex toto. — n. 2. *Saepe* deficit; additio antiqua ad marg. — Ibid. Vix sine aliquo dispendio *transit;* rasur. et corr. nova. — n. 5. Cavendum tamen, ne *piger* sis ad communia. Thomas sine tergiversatione scripserat «impiger». Sed quia corrector eius advertit Thomam contra sensum scripsisse, illum sua rasura iuvare voluit, literam *i* cum sua abbreviatura noviter radendo. Verum nimis clara vestigia reliquit, Thomam non *piger*, sed *impiger* scripsisse. — Ibid. Exercicia *et sanctorum suffragia;* tria haec verba minio deleta sunt a Thoma. Qui vel hic manifeste deprehenditur nonnisi descriptor fuisse, quia describendo haec quattuor verba oculis aberraverat ad quattuor eadem verba octava post linea proxime sequentia, videlicet: Bona exercicia et sanctorum suffragia ferventius imploranda. Exercicia bis per *c*. — Ibid. *In* feriatis; praepositio aliena manu ad marg. noviter addita.

Cap. 20. n. 1. O*c*iosis circui*c*ionibus   nec non; utrobique per *c*. Spatium intermedium rasum est. — Ibid. *Et* rumoribus; rasum et correctum. — n. 3. In deceptionem sui *ipsius;* alia nova manu ad marg. scriptum. — n. 4. Propter suam *nimiam* confidentiam; etiam aliena manu ad marg. positum. — n. 6. *Ibi invenit fluenta*; ad marg. additum. — n. 8. Quia alibi non invenies; transpositio verborum cum numeris ordinalibus.

Cap. 21. n. 3. *Prae omni*bus tibi dilectis; tres syllabae rasae et correctae. — n. 5. Ideo *frigidi*; quattuor literae rasae et corr. — Ibid. Pigri valde remanemus; transpositio antiqua numeris superne insinuata.

Cap. 22. n. 1. *Utique* qui pro Deo; ras. et corr. — Ibid. *Habere temporalia;* rasum. — Ibid. *Praesens vita fit ei amarior;* loco huius sententiae erasam aliam manifestum fit inspicientibus. — n. 4. In fine graviter sen*cient;* quinque literarum rasura et correctio. — n. 6. Cito etiam potest perdi; transpositio antiqua, minio notata.

Cap. 23. n. 1. Cito erit hic tecum factum; antiqua transpositio. — Ibid. Cogitatu deberes *ten*ere; tres literae ras. et cor. — n. 2. Et tu per viam eandem transibis; transpositio. — n. 3. De tota via *tua;* additio Thomae antiqua ad marg. — n. 5. *Nunc sunt dies salutis, nunc tempus acceptabile;* hanc lineam omiserat in contextu Thomas, quam tamen inferius post ultimam lineam ipse (ut videtur) reposuit, quamvis atramento diverso. — Ibid. *Sed* pro*ch* dolor; *sed* misere perrasum est. — n. 6. De quanto *periculo;* additio Thomae ad latus. — n. 8. Congrega *tibi* divitias immortales; haec additio est Sommalii et Rosweydi, quam Thomas non habet. — Ibid. Praeter salutem *tuam;* ad latus affixum manu Thomae.

Cap. 24. n. 1. Quando nemo *poterit* per alium excusari; Thomas expresse scripserat *potest.* Sommalius et Rosweydus correctorem novum secuti posuerunt *poterit,* minio delentem *τὸ* potest. — n. 2. Spiritui subiugare *nititur*, conatur; Thomas ambo verba in contextu expressit. Sed vel ipse Thomas *τὸ* nititur delevit, et descriptorem agnosce, vel alius, et imperitum cogita. — n. 4. Quam hic cen*tum anni;* trium syllabarum rasura et corr. nova. — n. 6. De longa fabulatione tunc; spatium intermedium vacuum est et rasum.

Cap. 25. n. 1. Nec erit *tunc* amplius timor *aut* dolor; *tunc* est additio antiqua ad marginem. *Aut* rasur. et corr. nova. — Ibid. Perpetuam laeticiam *invenies;* rasur. et cor. nova. — n. 5. Quam nociv*um est;* corr. et additio antiqua. — n. 6. Nec tum magis illi *te*; additio nova. — n. 8. Pigritar*i;* istud *i* rasum fuit et correctum; prius erat *pigritare.* Sommalius et Rosweydus correctorem correxerunt reponentes *pigritare.* — n. 10. Contentus de omni eventu rer*um erit;* trium syllabar. ras. et corr. nova. — n. 11. Si autem dederis *te;* additio antiqua.

4. Libro secundo.

Cap. 1. n. 1. *Regnum Dei inter;* ras et corr. nova. Quid erasum, non apparet. — Ibid. Ostendens tibi *consolationem suam;* ras. et corr. nova. — n. 2. In te habi*tare* dignetur; ras. et corr. manifesta. — n. 3. Extraneus *os* et peregrinus; additio infra lineam textus affixa. — n. 4. *Sicut* in transitu cuncto; nova et aliena manu scriptum ad marg. — n. 6. De ardente amore eius *sapuisses*; ad latus additum

manu Thomae, ut apparet. — n. 7. Qui *intus bene* dispositus; ras. et corr. nova.

Cap. 2. n. 1. Quis pro te *vel* contra te sit; ras. et corr. — n. 2. Liberat: humilem; duo puncta intermedia stant in loco raso. — Ibid. *Levat ad* gloriam; rasura et correctio nova.

Cap. 3. n. 1. *Et* faciliter malum credit; ras. et corr. — Ibid. Zelare poteris *etiam*; ras. et corr. — n. 2. *Tu bene* scis facta tua; ras. et corr. nova. — Ibid. Justius *esset*; ultimum *t* rasum et corr. noviter. — Ibid. Quae nulli *novit* irasci; quinque literae rasae et corr. — n. 3. Aliis *sunt* graves; additio antiqua supra lineam, forte manu Thomae.

Cap. 4. n. 1. Simplicitate *scilicet*; additio ad marg. manu Thomae. — Ibid. Si *rectum cor tuum* esset; ras. et corr. manifesta. — n. 2. Totum candens effic*itur*; additio alicuius correctoris per abbreviationem.

Cap. 5. n. 1. *Saepe* male agimus; ras. et corr. nova. — n. 2. In*ternus* homo; script. et corr. nova. — Ibid. Numquam *eris internus*; ras. et corr. nova. — Ibid. Si *tibi* et Deo; ras. et corr. nova. — n. 3. Si te *feriatum*; ras. et corr. nova. — Ibid. *Totum vanum* existima; ras. et corr. nova. — Ibid. *Amans* Deum anima; ras. et script. nova. — Ibid. Solatio *animae*; ras. et corr. nova.

Cap. 6. n. 1. Semper timida *est;* additio antiqua supra lin. — Ibid. Venient super nos mala; transpositio antiqua. — n. 2. De Deo et in Deo *est;* additio et scriptura nova. — Ibid. Gaudium *eorum de* veritate; *eorum* est additio antiqua; *de* rasum et corr. — n. 4. Quem commendat Deus; transpositio antiqua.

Cap. 7. n. 1. Quid sit amare *Ihesum;* ras. et corr. nova. — Ibid. Ab omnibus oportet *te;* additio antiqua infra lineam. — Ibid. *Sive velis, sive nolis;* ras. script. et additio antiqua. — n. 2. Moriens *et* illius; additio nova supra lin.

Cap. 8. n. 3. *Et scire cum Ihesu conversari;* ras. et corr. nova. — Ibid. Et gratiam eius *perdere;* aliquis delevit et abbreviaturam abrasi. — n. 5. Cor ad *Deum gerere;* corr. et scriptura nova. — Ibid. *Videre, quam sit dominus suavis;* sic scripsit Thomas. Sed Sommalius et Rosweydus redegerunt in ordinem psalmi: Videre, quam suavis sit dominus.

Cap. 9. n. 1. Optabil*is* cunctis haec hora; duae literae rasae et corr. noviter. — n. 2. Sacerdotem *Sixtum;* scriptum ad marg. manu Thomae. — Ibid. *Cum* ab amico derelictus *fueris*; *cum* est additio nova supra lineam, et *fueris* est additio ad marg. — n. 3. Fortes ex*erci*tationes; quattuor literae rasae et corr. noviter. — n. 4. *Sed* Dei munus; ras. et corr. nova. — Ibid. Humilior ex *dono;* rasur. et corr. nova. — Ibid. *Quoniam* potens est Deus; ras. et corr. nova. — n. 5. *Absente vero gratia;* ras. et corr. nov. —

Ibid. *Inter* haec tamen; ras. et corr. nov. — n. 8. *Sequitur etiam temptatio*; ras. et corr.

Cap. 10. n. 1. Cur *queris* quietem; ras. et corr. nov. Thomas nihil scripsit per diphtongum «ae». — n. 3. Quae ducit in elevationem; inter *ducit* et *in* spatium rasum. — n. 5. Esto *igitur* gratus; corr. et ras. nova. — Ibid. *Pro gratia data*; script. et corr. nova.

Cap. 11. n. 1. Inv*eni* socios; trium liter. corr. et script. nova. — Ibid. Ignominiam *crucis* sequuntur; affixum ad latus manu Thomae. — n. 2. Post verbum *benedicunt* Thomas hanc sententiam scripserat in ipso contextu: «Et si Ihesus vellet, quod irent in infernum, ibi eque contenti essent nec minimum curarent». Quam tamen postmodum vel ipse vel eius corrector aliquis delevit. — n. 4. Raro *invenitur* tam spiritualis; adscriptum ad latus alia manu quam Thomae. — n. 5. Et ad infimum *se*ponere; in marg. positum.

Cap. 12. n. 1. *Tunc omnes* servi crucis; manifesta ras. et corr. — n. 3. Et *ad* veram internam; additio supra lineam. — Ibid. Nisi via sanctae *crucis;* ras. et corr. nov. — n. 4. Nec *tamen* aliquo; ras. et corr. nova. — Ibid. Libera*ri seu* alleva*ri;* trium syllabarum ras. et corr. nova. — n. 7. Tota ista vita; transpositio. — n. 8. *Ex sufferentia;* ras. et corr. nova. — Ibid. Nam dum *sponte;* additio est ad marg. — n. 10. Pone te ergo *sicut;* ras. et corr. — Ibid. Oportet *ita esse;* ras. et corr. nova. — Ibid. Si solus posses omnes; transpositio. — n. 14. *Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quanto quisque plus sibi moritur, tanto magis* etc. Omnia haec ras. et corr. — Ibid. Comprehendendum *celestia*; ras. et corr. — n. 15. Si *quidem*; ras. et corr. — Ibid. *Quam pati;* additio ad marg. manu Thomae. — Ibid. Et seque*ntes* se; tres literae rasae et correctae. — Ibid. In *regnum Dei;* ras. et corr. — Ibid. Om*nesque* eum sequi cupien*tes;* tres syllabae rasa et correctae. Post finem huius capitis spatium vacuum infra et supra «*Expliciunt ammoniciones, ad interna trahentes*», mirum in modum perrasum et laniatum est. Quid vero erasum fuerit, quis divinabit? Id ipsum cernitur in spatio post indicem libri quarti de sacramento, quem Thomas tertio loco posuit; et nos eum hinc secuti.

5. Libro quarto. De sacramento.

Ante caput 1. Spiritus et *vita* sunt; additio ad marg. antiqua.

Cap. 1. Titulus istius capitis ex toto fuit erasus et alius inscriptus, videlicet: *Cum quanta reverentia Christus sit suscipiendus.* — n. 1. *Cuncta sunt* accipienda; ras. et corr. nova. — n. 2. Fiducialiter *ad te;* additio supra lineam antiqua

manu. — Ibid. Et *ut* immortalitatis; additio supra lineam. — Ibid. *Egenum et pauperem invitas;* ras. et corr. nova manifesta. — Ibid. *Sed quis* ego sum; ras. et corr. nova. — n. 4. Utinam *vel* semel; ras. et corr. nova. — n. 5. O *mi* Deus; ras. — Ibid. Ad placitum *tibi*; ras. et corr. — Ibid. *Heu quam pusillum;* ras. et corr. nova. — Ibid. Nulla *eciam* creatura; ras. et corr. — n. 6. Praefigur*ativa et veram tui corporis;* ras. et corr. simulque transpos. — n. 7. Quoram arc*h*a Dei; additio antiqua supra lin. — Ibid. *Olim* indulta; scriptura nova. — Ibid. *Deum* laudare; ad marg. additum. — Ibid. Quantae *nunc* mihi; ras. et corr. nova. — n. 8. Ad *istud* vero; ras. et corr. nova. — Ibid. Nec *curiositas;* septem literarum ras. et corr. nova. — n. 10. *Virtus amissa*; ras. et corr. nova. — Ibid. *Redit* pulchritudo; additio antiqua ad marg. — n. 11. *Neg*ligentia *nostra;* ras. et corr. nova. — Ibid. Trah*imur* ad Christum; quattuor literar. ras. et corr. nova. — Ibid. *Et ad inadvertentiam diffluere;* ras. et corr. nova. — n. 12. Si *enim;* est additio antiqua supr. lin. — Ibid. Sanctissimum *Sacramentum;* scriptum ad marg. manu Thomae. — Ibid. *Ab uno tantum;* scriptura et correctio nova. — Ibid. Quanto *putas* desiderio; scriptura recentior.

Cap. 2. in titulo. *Quam* magna bonitas; Sommalius et Rosweydus male exscripserunt: *quod* magna bonitas. — n. 1. Ut *hoc illi* praestes; ras. et corr. nova. — Ibid. Confiteor *igitur;* additio ad marg. manu Thomae. — Ibid. *Tuam* bonitatem; ras. et corr. nova. — Ibid. Propt*er nimiam;* ras. et additio nova. — n. 2. Nullus explicare hominum; transpositio manu antiqua. — Ibid. Bonitatem infinitam; transpositio. — n. 3. *Qui non sum dignus, ad te respicere*; ras. et corr. nova. — Ibid. *Et* panem angelorum; additio antiqua supra lin. — Ibid. De coelo *descendisti*; ras. et corr. nova. — n. 4. Quam *ma*gnae; duarum literarum corr. nova. — Ibid. Gratiarum actio*nes;* trium literarum ras. et corr. nova. — Ibid. *Convivium, cum te ipsum in cibum donasti;* ras. et corr. nova. — Ibid. Dixisti *enim;* addit. ad marg. — n. 6. Christi corpus; rasura in spatio vacuo.

Cap. 3. n. 2. *Ideoque* oportet; ras. et corr. recentior. — Ibid. Salutis *meae;* ras. et corr. nova. — Ibid. Sic enim *tu*; ras. et corr. nova. — Ibid. Praedicans *populis et;* ras. et corr. nova. — Ibid. Aliquando dix*isti;* quattuor literarum ras. et corr. nova. — Ibid. Conso*latione in sac*ramento; ras. et corr. nova. — Ibid. Particeps erit et haeres aeternae; transpositio. — Ibid. Corporis tui; transpositio. Quid opus hac transpositione, si Thomas auctor fuit? — n. 3. Divina *percipere;* ras. et corr. nova. Thomas scripserat *accipere.*

Cap. 4. n. 1. *Ut ad tuam;* ras. et corr. nova. — n. 2. *Et in* tua iussione; ras. et corr. nova. — Ibid. *Vincuntur*

aut minuuntur, gratia maior infunditur, virtus incepta augetur; omnia rasa et correcta nimis manifeste. — n. 3. *Totius* dator consolationis *internae*; utrobique ras. et corr. nova. — Ibid. Protectionis *erigis*; ras. et corr. nova. — Ibid. Intus *recreas*; ras. et corr. nova. — Ibid. *Sine affectione*; ras. et corr. nova. — Ibid. Copiosum ignem stans; transpositio. — n. 5. *Cui committo me et omnia mea, ut me custodias et perducas in vitam aeternam. Suscipe me in laudem et gloriam nominis tui, qui corpus tuum et sanguinem in cibum et potum mihi parasti. Praesta domine Deus et salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii tui crescat meae devotionis affectus*; omnia haec ipsius Thomae, ut apparet, manu misere rasa et correcta sunt, palpabili argumento eum descriptorem fuisse, non auctorem.

Cap. 5. in titulo: De dignitate sacramenti et stat*u* sacerdotali; ultima pars literae *u* rasa et correcta. — n. 1. *Christi sacramentum*; ras. et corr. nova. — Ibid. *In* cibum; correctio nova. — Ibid. Principalis est *actor*; ita Thomas. Sed corrector aliquis superposuit literam *u*, hinc Sommalius et Rosweydus descripserunt *auctor*. — n. 2. Vide cuius *mi*nisterium; abbreviatio seu titulus supra *mi* rasus et nova manu ductus est. Textus habet *mi͂sterium*. — Ibid. Non *allevasti* onus; ras. et corr. nova. — Ibid. Arcio*ri* iam allegatus; litera *i* ras. et corr. noviter. Arciori pro arctiori. — Ibid. Hominum *viis*; ras. et corr. nov. — n. 3. Ecelesia*m* edificat; litera *m* recens apposita. — Ibid. *Requiem praestet et sese omnium*; nova ras. et corr. omnium.

Cap. 6. in tit. Interrogatio de exercicio; quid ex hoc vacuo spatio erasum fuerit, divinare non licet. Certe in indice titulum huius capituli Thomas ita scripsit: Interrogatio de exercicacio ante communionem. Itane scripserit libelli auctor? Judaei credite! — n. 2. *Propone breve aliquod exercicium, sacrae communioni congruum. Utile est enim scire*; omnia haec rasa et corr. fuerunt.

Cap. 7. n. 2. Ad *fletum et compunctionem*; rasa et corr. — Ibid. Tam incontinens *ad tacendum*; ita Sommalius, cum Thomas expresse habeat *in tacendo*. — Ibid. *Tam vagus ad attendendum, tam negligens*; omnia rasa et corr. nov. — n. 3. *Et sacramentum corporis mei salubriter suscipere*; omnia nov. ras. et corr. — n. 4. *Si* fecerit; ras. et corr. — Ibid. Sed ut magis vivat; transpositio antiqua. — Ibid. Sibi indulta *erunt*; ras. et. corr.

Cap. 8. n. 1. Sponte *optuli*; ras. et corr.; *optuli* pro *obtuli*. — Ibid. *In missa cum omnibus*; ras. et corr. nov. — Ibid. *Quanto intimius* vales *offerre*; ras. et corr. — Ibid. *Quid magis a te requiro*; ras. et. corr. — Ibid. Quidquid *preter te* ipsum das; tres syllabae rasae et correctae. — Ibid. *Datum tuum, sed te*; ras. et corr. — n. 2. Da *te* to-

tum; additio supra lineam. — Ibid. *Accepta* oblatio; ras. et corr. — Ibid. Me totum *obtuli patri;* ras. et corr. — Ibid. *Totum* corpus; ras. et corr. — Ibid. In ci*bum ut totus tuus* essem; sex syllabae ras. et corr. — Ibid. *Igitur omnia opera tua;* omnia ras. et corr. — Ibid. Consequi *vis et gratiane;* tria verba rasa et corr. — Ibid. *Intus* efficiuntur; ras. et corr. — Ibid. Abnegare *nesciunt;* ras. et corr.

Cap. 9. n. 1. *Et que in* terra; tria verba ras. et corr.; pro quae que. — Ibid. *Et in* sacrificium; ras. et corr. — Ibid. Perpetu*e* laudis; transpositio antiqua. — n. 5. Et *ut* ab omnibus; additio nova supra lineam. — n. 6. Offero etiam *tibi;* additio antiq. ad marg. manu, ut apparet, Thomae. — Ibid. *Profi*ciamus *e*ternam; duae syllabae ras. et corr.

Cap. 10. n. 2. Ipse *nequam* spiritus; ras. et corr. — Ibid. Immissiones *patiuntur;* ras. et corr. — Ibid. Et solita illos nequi*c*ia *sua;* addit. ad marg. antiqua tamen. — Ibid. *Versuciis* et *fantasiis;* pro versutiis et phantasiis. — n. 3. *Sacram ne dimittas;* omnia rasa et corr. — Ibid. *Omnes offensiones libenter indulge;* omnia rasa et corr. — n. 4. Aliud ma*ius;* tres literae rasae et corr. — Ibid. *Proch* dolor; ras. et corr. nov. Prius erat *Broch;* id arguit cauda nova appensa et litera P foede deformata. — n. 6. Incarna*cionis Christi;* ras. et corr. et additio contracti nominis Christi nova. — Ibid. *Eius* accenditur; ras. et corr.

Cap. 11. in tit. *Anime fideli;* duo verba minio ad marg. addita per manum Thomae. — n. 2. Sub *sacra*mento abscondis; duae syllabae ras. et corr. — Ibid. Bea*ti* in gloria; aliquid erasum. — Ibid. *Gustant verbum Dei caro factum, sicut fuit ab initio et manet in aeternum;* ex toto rasum et correctum. — n. 3. *Fit tedium eciam;* ras. et corr. — Ibid. Pro *nichili* duco; sic Thomas expresse. Sommalius et Rosweydus ediderunt *nihilo,* ut soloecismum Thomae tegerent, cuius simplicitas et imperitia magna fuerit oportet, quod toties immotis oculis sua manu Priscianum flagellaverit. Aliud est «nihili duco», aliud «pro nihilo duco». — Ibid. Nulla me potest res; transpositio. — Ibid. Et Sancti tui *domine;* ras. et corr. — Ibid. *Adventum gloriae tuae exspectabant;* omnia rasa et corr. — Ibid. *Ambulabo interim in fide, exemplis confortatus sanctorum. Habebo eciam* libros sanctos *pro solatio et vite speculo; atque super hec omnia sanctissimum corpus tuum pro singulari remedio et refugio. Duo namque michi;* omnia haec rasa et correcta sunt, praeter «libros sanctos». — n. 4. Corpus sacrum; transpositio. — Ibid. Mensa est *sacri altaris;* rasa et corr. nova. — Ibid. *Divinae legis, continens;* tria verba ras. et corr. — Ibid. Sanctorum *perducens;* ras. et corr. — Ibid. *Doctrinae mensa;* ambo rasa et corr. — n. 6. Honorabile *est;* additio manu Thomae supra lineam. — Ibid. Debent esse ille manus;

transpositio antiqua. — Ibid. *Ad quem tociens ingreditur auctor puritatis;* omnia ras. et corr. — n. 7. Celi et *terre;* additio antiqua ad marg. — Ibid. Deus omnipotens; transpositio. — n. 8. In spir*itu;* tres literae ras. et corr.

Cap. 12. n. 1. Dator *omnis* sanctitatis; additio supra lineam. — Ibid. Maneam apud te; transpositio antiqua. — Ibid. *Cordis tui habitaculum;* ras. et corr. nova. — n. 2. Praeparares te; transpositio manu Thomae. — Ibid. *Et affectu accipe corpus;* rasura et corr. antiqua. — Ibid. Fru*ere Deo tuo;* sex syllabae rasae et corr.

Cap. 13. in tit. *Debet;* est additio Thomae ad latus. — n. 1. *Cum amico convivari;* rasa et correcta. — Ibid. Unitus *et* absorptus; additum *et* supra lineam. — n. 2. De *celo descendente;* ras. et corr.

Cap. 14. n. 1. Devotorum *aliquorum;* ras. et corr. nova. — Ibid. Devoti*fuerunt;* ras. et corr. nova. — n. 2. Cognoscunt veraciter; transpositio. — Ibid. *Valide ardet in* eis; tria verba ras. et corr. — Ibid. Pauperi tuo mendico; transpositio manu Thomae.

Cap. 15. n. 2. Et viceris perfecte; transpositio manu Thomae. — n. 3. Infimis *quis* renunciat; additio ad latus seu marg.

Cap. 16. n. 1. Qui solus *potest* me; ita Thomas. Sommalius et Rosweydus mutarunt in *potes.*

Cap. 17. n. 1. *Cum toto cordis affectu et fervore desidero te domine;* omnia rasa et corr. — Ibid. *Quemadmodum* multi; ras. et corr. nova. — Ibid. *In communicando te desideraverunt;* ras. et corr. nova. — Ibid. Unquam *habuit;* ras. et corr. nova. — n. 3. *Inter homines Ihesum ambulantem;* ras. et cor. — Ibid. Qui stat et audit *eum;* additio ad marg. scriptura antiqua. — Ibid. *Sic et ego;* ras. et corr. nova. — Ibid. *Me ipsum* praesentarem; ras. et corr. nova. — n. 4. *Haec* tibi reddo; ras. et corr. nova. — Ibid. Mecum *tibi* gratias; additio antiqua supra lineam.

INDEX.

